Date due

		DUE	AUG 20 '71
MAY 2 2 1971		RET	AUG 13 '71
MAY 2 1 1971			
JUN 4 1971			
JUN 4 1971			
JUN 1 8 1971			
JUN 1 8 1971			
JUL 2 1971			
JUN 3 0 1971			
JUL 1 4 1971			
JUL 1 0 1971			
JUL 2 4 1971			
RET JUL 23 '71			
DUE AUG 6 '71			

KING PRESS NO. 303

HECTORIS BOETII

MURTHLACENSIUM ET ABERDONENSIUM

EPISCOPORUM

VITAE,

ITERUM IN LUCEM EDITAE.

EDINBURGI, M.DCCC.XXV.

1825.

PRESENTED

TO THE MEMBERS OF THE

BANNATYNE CLUB,

BY HENRY COCKBURN AND

THOMAS MAITLAND.

THE BANNATYNE CLUB,

MDCCCXXV.

SIR WALTER SCOTT, BART.

President.

THE RIGHT HONOURABLE WILLIAM ADAM, LORD CHIEF COMMISSIONER OF THE JURY COURT.
SIR WILLIAM ARBUTHNOT, BART.
JAMES BALLANTYNE, ESQ.
SIR WILLIAM MACLEOD BANNATYNE.
ROBERT BELL, ESQ.
WILLIAM BLAIR, ESQ.
GEORGE CHALMERS, ESQ.
HONOURABLE JOHN CLERK, LORD ELDIN.
HENRY COCKBURN, ESQ.
ARCHIBALD CONSTABLE, ESQ.
DAVID CONSTABLE, ESQ.
J. T. GIBSON CRAIG. ESQ.
ROBERT DUNDAS, ESQ.
ROBERT GRAHAM, ESQ.
HENRY JARDINE, ESQ.
THOMAS KINNEAR, ESQ.
DAVID LAING, ESQ.
REVEREND DR JOHN LEE.
JAMES MAIDMENT, ESQ.
THOMAS MAITLAND, ESQ.
GILBERT LAING MEASON, ESQ.
THE RIGHT HONOURABLE THE EARL OF MINTO.
JOHN ARCHIBALD MURRAY, ESQ.
ROBERT PITCAIRN, ESQ.

THE RIGHT HONOURABLE SIR SAMUEL SHEPHERD, LORD CHIEF BARON OF SCOTLAND.

ANDREW SKENE, ESQ.


JAMES SKENE, ESQ.

GEORGE SMYTHE, ESQ.

THOMAS THOMSON, ESQ. VICE-PRESIDENT.

PATRICK FRASER TYTLER, ESQ.




EPISCOPO
rum Murthlaceñ. & Aberdoneñ. Per He-
ctorem Boetium Vitæ.
Prelũ Ascẽsianũ

IN EPISCOPORUM VITAS.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI, GAVINO DUMBARI, ABERDONENSI ANTISTITI, HECTOR BOETIUS DEIDONENSIS DEBITAM REVERENTIAM.

INTER lustrandum vetustæ nostræ gentis monumenta, Præsul venerande, quibus Wilhelmus Elphinstonus Episcopus, olim generalis Aberdonensis scholæ conditor, quem ipse gloriaris frequentius, veluti imitandæ virtutis exemplar, habuisse prædecessorem, plurimum delectabatur; Fergusium secundum regem qui Scotorum regnum, victis Britonibus, patria procul abactis, cæsis ubique eorum præsidiis, restituit, mandasse accepimus ut in Iona (una est Hybridum insularum) libri quibus res nostræ literis mandatæ (ne quando interirent) celebribus ædibus ad hoc data opera extructis, penes viros prisca nostra lingua eruditos essent et conservarentur, annuo statuto custodibus salario, unde Scotica juventus non modo quid una, sed quid omni ætate sui majores egregie fecerint, colligerent, exemploque moverentur ad omnem, cujus in re bellica foret usus, vir-

tutem. Inde, sed multos post annos, ut Restennothy (munitioni nomen est olim in Angusia, ubi nunc canonicorum Divi Augustini cœnobium) qua ad Ionam difficilis admodum erat aditus, nostri annales inde traducti reservarentur, Alexander primus rex edixit, ne nostratibus majorum egregie gestorum quæ imitarentur deesset memoria. Hos codices exacta adeo diligentia reservatos, alios quoque omnes, et publicos et privatos, ubilibet penes nostros inventos, Eduardus Anglorum rex, cum nostram regionem discordia laborantem popularetur, simul cum præfato cœnobio concremavit. Tanta libidine non modo nostræ gentis, sed et ejus memoriæ delendæ flagrabat. Qua clade libri quibus Scotorum pontificum res gestæ memoria dabantur, ad unum sunt absumpti. Unde effectum, ut nostri regni primores suorum acta progenitorum pene omnia ignorent; episcopi qui sui fuere antecessores, quæ per eos bene gesta, quocunque etiam labore, præter paucula quædam cum pontificum nominibus, cognoscere non possint. Scrutatus etenim (tuo jussu) exactissima diligentia, qui Aberdonenses episcopi et quales fuere, ante Roberti primi regis tempora, vix quicquam præter nomina comperi. Verum ut invenire potui, in unum conjeci codicem, ut dignoscant legentes Aberdoniæ, a sacri ibi magistratus institutione, vix unquam antistitem defuisse doctrina atque virtute spectabilem. Hunc librum quantulumcunque tibi dicavi (Reverende Præsul) gratiorem mea sententia futurum, quod nullus tibi sermo (ut æquum est credere) quam qui de tuorum præcessorum virtute sit, acceptior esse poterit. Fuere tui inquam antecessores (ut videre licet) studio atque eruditione omnibus qui sacrum ubilibet gerunt magistratum imitandi. Accipe mu-

nusculum obsecramus, etsi exile, tibi tamen offerendum quod eorum qui te præcesserunt pontificum laudes in eo recitatæ nullibi tuo sine decore possunt enarrari: quos, ut omnibus spes (et merito) est exorta, urbanarum et religiosarum rerum gloria propediem es æquaturus. Vale, semper felix. Ex tuo Collegio Aberdonensi, pridie Calendas Septembris, anno supra sesquimillesimum vicesimo primo.

HECTOR BOETIUS DEIDONENSIS DE VITIS PONTIFICUM ABERDONENSIUM.

MALCOLMUS KENNETI Scotorum regno potitus, ferocis populi efferatos animos religione mitigare, eamque gentem, quæ inter duos amnes Deyam ac Speyam sedes habet, magistratuum indulgentia effrenem (immenso enim itinere suo ab episcopo disjungebantur) jure, legibusque, ac moribus, imbuere parans, Murthlaci pontificem sacrum magistratum primus omnium instituit, sui regni anno sexto, mundanæ originis sexies millesimo ducentesimo nono, ad-
A.D. 1010. ventus Christi in carnem decimo supra millesimum : Beanumque virum disciplina, fide et pietate insignem, ibi creatum pontificem sacræ ædis condendæ loco, prædiis et agris de Murthlaco, Cloueth, et Dunmeth, horum cum ecclesiasticis redditibus, ad perpetuos pontificios sumptus donavit. Neque alium erogationis diplomatibus (chartas dicunt nostri) præter se inscripsit testem ; tanta tum fides mortalium animos regebat : diplomata extant in rei fidem. Pontifex vero Beanus ubi suorum pectora, sacris monitis et exemplis, pietate imbuerat, anno trigesimo secundo post initum pontificatum e medio sublatus, Murthlaci ad templi (quod ipse extruxerat) posticam debito honore sepelitur. Erat is annus regis Duncani septimus ; a Christo
A.D. 1041. nato millesimus quadragesimus primus.

Exinde in demortui locum suffectus DONORTIUS, quadraginta

duos annos egit pontificatum. Nec sine sanctitatis opinione mortuus, ea, quæ episcopum decet, pompa eodem cum Beano loco traditur sepulturæ, Edgari regis anno primo.

Eo tempore CORMACHUS pontificatum iniit Murthlacensem, vir tantæ prudentiæ et virtutis, ut doctissimos simul atque sanctissimos præsules referre diceretur. Trecesimo nono tandem sui pontificatus anno fatis cessit. Pontificali, quod diximus, monumento sepultus.

Huic in pontificio munere NECTANUS successit, Alexandri primi regis anno decimo sexto, Christi vero secundo supra millesimum centesimum et vicesimum. Hunc eruditio et morum gravitas apud A.D. 1122. regem David fecerunt tanti, ut regia negotia publica et privata ex ejus sententia et ductu agerentur. Et ut episcopali gerendæ dignitati facultates suppeterent (erat enim Murthlacenses exiguæ admodum) mutatam sedem antistiti, pius rex primum fecit Aberdonensem, inde multis donavit proventibus, agris atque prædiis veteris Aberdoniæ, de Sclaty, Gowll, Murcroft, Kynmundy, Mawmeulach, Clat, Tulynestyn, Rayn, Davyot, cum eorum templis, villis templorumque redditibus, decima regiæ annonæ parte proventuum et vectigalium seu portoriorum Aberdonensis oppidi, variisque aliis, ut regiis ex diplomatibus facile dignosci potest. Diem clausit hic pontifex Christianæ salutis anno millesimo centesimo quinquagesimo secundo, Malcolmi A.D. 1152. quarti regis primo; postquam Murthlaci sederat annos quatuordecim, et Aberdoniæ XVII.

Post Nectanum EDUARDUS, doctrina ecclesiastica præsertim insignis, pontifex Aberdonensis omnium consensu decernitur. Is Malcolmo familiari erat in usu suam singularem ob continentiam: quam et rex ipse ita excoluit et servavit ad vitæ exitum, ut Virginis cognomen jure tulerit ad posteros. Avita dona Aberdonensi ecclesiæ castus rex Malcolmus firmavit, nonnulla superaddidit. Eduardus vero regularis vitæ viros (quos vocavit Canonicos) veluti confratres ad divina cum sacellanis exequenda primus omnium in Aberdonensi ecclesia instituit. Obiit inde mortem posteaquam undecim annos munus gesserat pontificium.

Haud multo post MATTHÆUS Sancti Andreæ Archidiaconus, omni vita, religione et doctrina insignis, Aberdonensem pontificatum est adeptus, Malcolmi regis (cujus paulo ante mentionem fe-
A.D. 1163. cimus) anno undecimo, et Christianæ originis millesimo centesimo sexagesimo tertio. Hujus prudentiam in magnis gerendis, labores ad Christianæ religionis observationem, pietatem in deum et homines, ubi intellexit rex optimus, complexus eum familiariter, semper ut parentem et præceptorem est veneratus; avitisque donis ecclesiæ Aberdonensi sua auctoritate denuo firmatis, immortali deo, divæ virgini Mariæ, divo Machorio (in quorum honorem templum tunc condere est cœptum) et Matthæo episcopo agros de Tuligreg, Fetyrneir Owyn, Invercroudan, Banquhore Denif, Bahelny, cum ecclesiasticis eorum redditibus, proventibusque parochialis templi Aberdonensis oppidi, libere erogavit. Extant regiæ donationis diplomata. Sedit is pontifex, Kyninmund cognomento, annos quatuor et triginta. Attigit

enim Wilhelmi regis, a quo prædiis, agris et nemoribus de Bras libere est donatus, annum tertium supra tricesimum, quum e medio sublatus est, Christi incarnationis anno millesimo centesimo nonagesimo septimo.

Et JOANNES, Prior de Calcho, ejus in locum suffectus est. Erat Joannes publica vita, ea religione qua privata, virtutis exemplar omnium sententia imitandum, fortunarum contemptor adeo ut nullius indigus esse unquam potuerit. Optimus enim antistes, ubi omnia quæ habuerat, aut in ædificiis et ornamentis templorum aut pauperibus erogasset, nono anno sui pontificatus vita excessit, Christi vero A.D. 1206.
sexto supra millesimum ducentesimum.

Anno eodem ADAMUS Aberdonensis episcopus vocatur, regis potius suasu et imperio quam clericorum suffragiis, qui inito magistratu regiis negotiis ut privatus primis annis addictus erat. Sed Wilhelmo fatis cedente, Aberdoniam a clero et populo accitus, ad ecclesiæ dignitatem, prioribus annis sua incuria paulum labefactatam, reparandam totum animum adjecit. Nec diu superfuit, Moritur enim post assumptum pontificatum anno vicesimo primo, Alexandri secundi regis undecimo, et nostræ salutis millesimo ducentesimo A.D. 1227.
vicesimo septimo.

Inde MATTHÆUM regni Cancellarium clerus cum populo Aberdonensi communi consensu antistitem postulavit, felices sese arbitrati, si virum tali modestia præditum, consilio et auctoritate adeo pollentem, pastorem essent habituri. Vix assenserat Matthæus, quum

per legatos acceperat Dunkeldensem episcopatum omnium suffragiis sibi delatum, id regi summopere placere: idcirco eo Dunkeldeam ad regem concedente, Aberdonensis clerus Gilberto de Stryvelyn viro nobili pontificatum decernit.

GILBERTUS creatus antistes, illico conatus est ut nemora de Bras, de Cloueth, nemoralesque agri, per improbos quosdam montanos injuria aliquot annos Aberdonensi ecclesiæ subtractos, eidem restituerentur. Qui execrationibus et interdictis admoniti, pontificalem timentes auctoritatem, et ne vi et armis regis domarentur, Gilberto obtemperaverunt. Emigravit is pontifex post adeptum magistratum anno undecimo, Alexandri secundi regis vicesimo secundo,
A.D. 1238. et nostræ salutis millesimo ducentesimo tricesimo octavo.

Secundum hæc, Aberdonensis clerus, facta concione Aberdoniæ, in consultationem ducunt quem potissimum præesse vellent. Erat per id tempus Abbyrbrothy RADULPHUS abbas, vir incredibili prudentia et sanctitate. Cujus ut forte inter consultandum incidit sermo, nemo eo in conventu aut voluit aut ausus fuit alium ad sacrum magistratum nominare. Tantum ea tempestate desiderium (quod nobis videre minime est concessum) pastoris qui optimus esset, habendi mortalium animos incesserat. Itaque omnes ad unum Radulphum episcopum declarant. Radulphus, quo diximus modo, Aberdonensis episcopus vocatus, haud sine summi pontificis auctoritate sua ex abbatia extractus, Aberdoniæ, populi ingenti cum gaudio, Alexandro rege presente, consecratur, anno Christi millesimo du-

centesimo quadragesimo. Episcopus effectus religiosam vitam non exuit, sed induit arctiorem, ea veste aut certe viliori qua antea contentus, majori longe cibi parsimonia: labores subiit innumeros, diœcesim pedes lustrando ne religio vel in minimo labefactaretur; intelligens vir sanctus episcopum debere vita esse irreprehensibilem, qui jure præesse posset, ut prodesset non solum sibi sed et aliis. Tandem obtento apud regem ut nemora sua de Bras et Feterneir cum agris a venatorum injuria essent immunia (quam liberam forestam vulgo dicimus) anno octavo post initum munus pontificium, diem obiit extremam, Alexandri secundi anno tricesimo. A. D. 1240.

In hujus pontificis locum clericorum suffragiis pervenit PETRUS DE RAMSAYO, omni disciplinarum genere eruditus. Qui, inito pontificatu, divino cultui intentus sacræ Aberdonensis sedis, tredecim regularis vitæ viris (canonicos vocant) quos ab Eduardo episcopo quasi confratres ad divina exequenda institutos, alio in loco significavimus, ecclesiasticos suos redditus est partitus, solis agris cum prædiis ad sumptus sibi retentis; ratus eo modo consultum iri religionis augmento. Sanxit et (applaudente clero) ut templorum sacerdotes ad pontificios sumptus, in annos singulos pecuniam penderent. Ad divini etiam cultus augmentum varias edidit sanctiones. Hæc et multa alia ubi peregisset quæ ad optimum pontificem pertinebant, fatali necessitate sublatus est, postquam decem sederat annos, Alexandri tertii anno quinto. Hunc privatum monachum Aberbrothensem fuisse asseverant. A. D. 1254.

Extincto Petro, RICHARDUS DE POTTOCK Aberdonensis creatur antistes; Anglus gente. Quæ res effecit ut montani de Cloueth et Murthlac, pontifici, veluti homini peregrino, minus audientes, agros et prædia multa subtraxerint, famulis ejus verberibus cæsis et ignominiose repulsis. Tulit Richardus ægre contumeliam, execratus facinoris auctores; apposuissetque se rex criminis vindicem, ni citius sceleris insimulati restitutis prædiis venissent Aberdoniam, ad antistitisque pedes, ejus arbitrio supplicium obituri, multis lachrymis petiissent veniam. Mortuus est Richardus, avitis donis Aberdonensi
A.D. 1267. ecclesiæ Alexandri auctoritate denuo roboratis, pontificatus sui anno decimo tertio, præfati vero Alexandri decimo octavo.

Et HUGO DE BENHYEM in ejus locum suffragiis canonicorum suffectus. Is illico sumpto pontificatu Romam accessit, ubi Martini quarti summi pontificis jussu (is tunc Petri sedem tenebat) episcopus consecratur: inde ubi illic religionis causa annum unum moratus fuisset, in Scotiam est reversus. Dissidebat tum forte populus Scotus cum clero: his summorum pontificum sanctiones, illis regni consuetudines, sua pro sententia afferentibus. Causam dissidii ferunt quod fructuum quorundam decimas, quas petebant sacerdotes, populus aperte solvere recusasset. Hanc litem dirimendi potestas Hugoni permissa. Perthi facta patrum concione multum diuque ubi disertum fuerat, rege præsente, regnique primatibus, veteres episcoporum sanctiones (provincialia statuta vocant,) firmavit: novas quasdam ad Christianæ religionis decus et augmentum omnibus probantibus superaddidit: discordiam sustulit atque extin-

xit penitus. Multa alia optimo episcopo digna ejus fuere opera. Pervenit ejus episcopatus ad Alexandri tertii annum vicesimum nonum, quo anno in insula lacus de Gowllis ubi vicinorum nemorum amœnitate delectatus senex sese continebat, catarrho exundante subito interiit. A.D. 1278.

Et in demortui locum HENRICUS CHEIN, regius consiliarius, Joannis Cummyni, viri inter nostrates maximæ auctoritatis, Cummynorum præcipui, ex sorore nepos, est provectus. Inito Henricus pontificatu, instaurandis templis et Dei ministris illico adjecit animum. Vetus templum Aberdonense demolitus novum edificare incepit. Vix jam fundamenta jecerat, quum bellico tumultu oborto, obturbatus incepto destitit. Enimvero Anglica arma, duce Eduardo primo, regem Joannem de Balliolo in Scotia bello petivere. Crescebat magis magisque in dies id bellum : impleverant Angli omnia rapinis et direptionibus. Capto tandem Joanne, Londinumque misso, totam belli vim in Robertum Brusium regni hæredem vertunt. Erant Brusio Scotorum plurimi infensi ob cæsum ab eo Joannem Cummynum, qui rebus ex sententia Roberto succedentibus ad unum in Anglia exularunt. Inter quos Henricus, qui avunculi partes contra Robertum tueri videbatur, est proscriptus. Eo prope temporis Brusiani Aberdonensem arcem, quam aliquot annos maximo cum Scotorum incommodo Angli tenuerant, Aberdonensibus plurimum suppetiarum afferentibus, expugnatam vi capiunt, cæsis qui ejus custodiæ fuerant destinati ; ac paulo post ne Anglis ullum Aberdoniæ superesset refugium, omni supellectili exhaustam solo æqua-

runt. Angli amissæ arcis cæsorumque contribulium tristi nuncio affecti, coactis copiis Aberdoniam movent animo acceptam injuriam ulciscendi. Id ubi Aberdoniæ nunciatum, Brusiani simul cum civibus illico oppido egressi sunt, cum hostibus dimicaturi. Joannes Frisarius Brusiani exercitus, qui tum Aberdoniæ fuerat, dux suis ita animos accendit ad pugnam ut non tam ad certamen quam ad certam victoriam progredi viderentur. Inita pugna acerrime est certatum. Victoria tandem (sed cruenta) Scotis cessit: Anglorum quamplurimi eo prælio cæsi, pauci vivi capti, rari fugere, adeo acriter in pugna perdurarunt. Placuit victoribus quos captos habebant ad terrorem extra oppidum furca suspendere: sed vetuere canonici, atque ut cæsorum corpora ad posticam templi divi Nicolai terra conderentur, apud Frisarium atque oppidi præfectum obtinuerunt, ubi eorum ossa cum titulis in rei monumentum adhuc cernuntur. Sed revertamur unde digressi. Robertus, pacatis tandem rebus, Anglisque e Scotia pulsis, et in Angliam repulsis, inter lustrandum patriam templi ædificium Aberdoniæ, Henrici opera inceptum, forte conspicatus, jussit pontificis impensis (ne in profanos usus ecclesiæ redditus expenderentur) chorum consummari. Exinde aliquot post annos Henricus (permittente rege) ab exilio Aberdoniam reversus, ubi postquam labefactatæ religionis sacri magistratus defectu reparationi plurimum insudaverat, XLVIII. anno quo sedere inceperat, morte est correptus. Qui annus erat Roberto regi vitæ ultimus,
A. D. 1329. Christi domini adventus millesimus trecentesimus vigesimus nonus.

In ejus locum ALEXANDRUM KYNINMUND theologum doc-

torem Christianæ religionis observantissimum, canonici sufficiunt. Is obtento magistratu ad religionis et pietatis reparationem, prædicationibus et monitionibus, quibus plurimum ob doctrinam valebat, illico se totum contulit. Quod ut facilius consequeretur, disciplina ecclesiastica eruditos undequaque præmiis ad se allectos secum semper esse voluit. Hyeme Murthlaci habitavit, vere Aberdoniæ, quo quadragesimalibus sacris illuc confluentes docere, ab æquo devios more punire ecclesiastico, Paschale sacrum solenniori apparatu peragere possit commodius; æstate et autumno Feterneyr et Rain: ut inde in omnem diœcesis locum ad populum erudiendum erroresque ejus emendandos facilius iretur, præfatorum singulis quatuor locis pontificales ædes (quas præsulis mansiones appellabant) construere incepit; duas absolvit, alteram Aberdoniæ, alteram in Fetyrneyr, bellico tumultu quo tum Angli cum Eduardo de Balliolo magnam regionis partem attriverant, varie turbatus. Per id tempus triginta naves Anglicanæ in statione portui Aberdonensi proxima noctu jecere anchoras, unde expositæ copiæ in terram pene Aberdoniam prius sunt ingressæ quam cives eas advenisse senserunt. Sequutus pavor ingens, terrorque omnium, ut hominum, mulierum atque puerorum fugientium turmis passim viæ complerentur. Angli accepta clade (cujus ante meminimus) apud Aberdoniam, ira perciti complures Aberdonensium trucidant: urbem simul atque pontificis et canonicorum ædes omni supellectili populatas incendunt. Arsit Aberdonia sex dies, lugubre intuentibus spectaculum. Pepercere hostes templis pietate moti: religiosorum quoque abbatiis, custodibus adhibitis ne torribus faculisve vento per aera actis, qui tum forte vehemens erat

admodum, quid damni paterentur. Fuit annus quo Aberdonia funestam hanc cladem accepit a Christo incarnato tertius supra millesimum ter centesimum tricesimum. Inter hæc incommoda præsul Alexander eruditione et pietate insignis, nihil omittens quod ad optimum pastorem attinere diceres, ultima naturæ persolvit undecimo magistratus sui anno, et Davidis secundi duodecimo.

A.D. 1333.

In Alexandri locum WILHELMUS DE DEYN Aberdonensis episcopus creatur, anno salutis nostræ millesimo [trecentesimo] quadragesimo primo. Is sacro magistratu potitus ob belli incommoda, quibus tunc omnia erant plena, quod ad bonum attinet pastorem vix quicquam exequi poterat. Sed Scotica re tandem respirante, hostibus procul actis, ædificia ab Alexandro inchoata absolvit, diruta Anglicis armis restituit: quibus et custodes, quos constabularios vulgo dicimus, adhibuit perpetuos, constituto eisdem justo in annos salario. Nec parum laboris erat pontifici, silvescentem clerum bellico tumultu ad compositiores mores revocare. Quod ubi incredibili diligentia peregerat, postquam decem sederat annos, morte est correptus, Davidis secundi anno primo supra vicesimum. Sepultus in choro Aberdonensis basilicæ.

A. D. 1341.

Post quem JOANNES RAIT doctor theologus, scientiis divinis apprime eruditus, canonicorum suffragiis creatus antistes, privatum deposuit, publicum induit: tyrannos quosdam qui Aberdonensi ecclesiæ agros et prædia bellica turba subtraxerant, execrationibus et interdicto est prosecutus; diœcesim quotannis paucis comitibus do-

cendo, populique emendando deliquia, lustravit. Singulis enim templis coeunti populo ipse et sacra egit, et est concionatus. At quum forte Kyldrotty esset, facinorosi quidam sacris interdicti, et ob hoc episcopo infensi, illius insidiabantur capiti, jamque armati venerant ad rem infandam perpetrandam. Id ubi relatum erat Joanni, pontificalia indutus nihilque pavens, adventantes aggreditur solenniori apparatu denuo execraturus. Tyranni venerandum antistitem conspicati, spectatam adeo primum demirati virtutem, positis armis, ira et odio, ad ejus pedes pervoluti obortis lachrymis veniam precantes, sese cum fortunis omnibus illius arbitrio obtulerunt. Præsul, ut animo erat facili ad ignoscendum, restitutis agris, reparatisque ecclesiæ damnis et injuriis, pœnitentes anathemate levavit. Oppressus ita vir optimus laboribus, pro religionis observatione, diu superesse non potuit. Sexto etenim anno quam pontificatum inierat e medio est sublatus, et Davidis secundi sexto supra vicesimum; A.D. 1355.
sepultusque magno omnium cum mœrore in choro Aberdonensi.

In hujus locum ALEXANDER DE KYNINMUND divinarum humanarumque rerum interpres, hac ratione subrogatur. Erat tum forte Nicolaus quidam vir ambitiosus qui ex Gallia, cum rege Davide venerat, et ob hoc ei familiarior. Huic, aulicorum impulsu quos largitione corruperat, Aberdonensem pontificatum deferendum rex persuasum habuit; et ad illud exequendum literas ad capitulum dedit Aberdonense. Responsum est a canonicis pontificatum Aberdonensem nondum eo devenisse, ut qui plus largitione et ambitione valeret, bonis et doctis rejectis, gradum primum obtineret dignita-

tis: regi suo in regno etsi liceret quod vellet, non tamen licere nec ipsis quidem, qui jurejurando astricti essent ad pontificem deligendum vitæ sanctitate et doctrina pollentem. Idcirco precari liceret, rege permittente, Alexandrum Kyninmund, regium consiliarium, cujus prudentia in re familiari gubernanda, et vitæ sanctimonia adeo essent conspicuæ, communi suffragio pontificem declarare; ne Christi (quod maxime nollent) sanctionem de episcopo deligendo eousque inviolatam primum labefactatam viderent. Hos mores, hos canonicos utinam nostra tenerent tempora. Sed (ut abominor) quod nunc fit exiguum est, pejora in dies visuri sumus. Verum ad institutum redeo. Ægre canonicorum sententia primum a rege audita, mox quod æquum visi fuerant sentire optimis quibusque suadentibus probata: permissumque ut liberis suffragiis, quem vellent dicerent antistitem. Igitur haud multo post præfatus Alexander Perthi, rege præsente, Aberdonensis consecratur episcopus. Peractis inde quæ ea in celebritate agenda fuerant, Aberdoniam concessit, ubi vitam egit plane Christiano episcopo dignam, vivens caste, pudice, integre. Profestis quidem diebus suos aut divinum aut humanum jus docuit: festis autem predicationibus et admonitionibus insistere ei fuit peculiare: ter hebdomadatim jejunavit, festorum vigiliis quæ solennioribus observabantur ceremoniis, solo pane et aqua contentus. Quando etiam epulæ vel magnificentiæ causa paratæ, in pauperum usus tribuebantur. Vetus templum Aberdonense ejus jussu est demolitum, novum priori longe amplius, propterea que episcopali sedi accommodatius, ædificari cœptum: vix turres quas cernimus ad tintinnabulorum campanarumve usum, cum columnis sex cubitos altis construc-

tæ fuerant, quum Alexander, Roberti regis Secundi mandato, primatumque sententia et auctoritate, ad Francorum regem missus est legatus ad pristinum fœdus renovandum. Tum enim Angli, trajecto exercitu Calisium, multis populationibus Gallorum agros et oppida vexabant. Qua legatione ex sententia functus pontifex, domum reversus, vix annum superfuit. Decessit autem Sconæ stranguria (ægre eunte lotio) postquam quatuor supra viginti annos tenuisset pontificatum, et Roberti Secundi duodecimo: cujus corpus inde A. D. 1382.
elatum ante aram cathedralis templi, qua pompa decebat episcopum, traditur sepulturæ.

Posteaquam Alexander fatis concesserat, ADAM DE TYNNINGAMME, vir nobilis, plurimæque inter suos auctoritatis, Aberdonensem iniit pontificatum. Erat is Roberto regi familiaris, et, singularem ob prudentiam, morumque candorem, et ingenii ubertatem, regni patribus acceptus, adeo ut, quoties arduum aliquid in consultationem adduceretur, ejus sententia in primis apud eos valeret. Legationes complures ad Francorum regem, et privatus et publicus, pro utriusque regni felicitate obivit. Veteres fœderis conditiones firmavit, novas quasdam, utriusque regis auctoritate, superaddidit. Legationibus feliciter perfunctus, cum publicis negotiis totus insisteret, obtrectorum et delatorum quorundam malitia, Roberto regi suspectus esse cœpit, ne in ferenda lege super regum successione cum optimatibus quibusdam (quibus lex ea displicuit) sentiret. Ipse vero Adamus, sua innocentia fretus, ut regem suspicione levaret, Aberdoniam adiit, ibi, ingravescente ætate, laboribus fessus, vitæ reliquum

acturus. Tum Alexander, quidam regis nothus (ut ferebatur) homo nefarius (cujus improbitatem omnes fuerant perosi) tempus adesse ratus quo episcopum, sibi ob vitæ impuritatem infensum, suo opprimeret arbitrio, adjunctis impuris quibusdam, ut paternam injuriam ulcisci videretur, episcopi rem pecuariam omnibus cum fortunis abegit, agrestibus gregumque custodibus contumeliose cæsis. Agros ecclesiæ subtractos sceleratis quibusdam, nec deum nec homines verentibus, sua libidine partitus tradidit colendos. Ecclesiæ redditus (secundas decimas dicunt) suos regia donatione vocavit: ita homo impurus per optimi antistitis agros et prædia diu est debacchatus. Nec quispiam voluit (ne regem offendere videretur) sese vindicem opponere. Pontifex ubi illatas injurias frustra rege coram frequentius questus fuerat, sine ulla reparationis spe, Alexandrum, sacris prohibitum, diris persequitur execrationibus. Nec tamen animum contumacem nec malevolentiam posuit Alexander, sed in dies, ira et odio accensus, indigniora perpetravit. Collectis tandem sceleratis quibusdam qui eum impietate referebant, Aberdoniam episcopum obtruncaturus concessit. Episcopus vero, quem non latuit quid Alexander moliretur, potius Christi ecclesiæ utilitati quam vitæ consulens, obviam tyranno ultro progreditur: canum venerandumque caput offert ad supplicium, inquiens, Si hoc petis, præsto est. Multis animos movit ad meliora, atque lachrymas excussit præsulis spectata virtus: persuasum inde, licet multis difficilibusque contentionibus, Alexandro, ut a tanto scelere abstineret, ne dirum adeo nefas perpetrando, sacro sanguine quod (ea in gente) hactenus erat inauditum, fœde adeo pollueret manus. Pervenit hujus rei

fama ad regem, qui primorum sententia (quos rei indignitas plurimum commoverat) aliquot post dies Alexandrum, ad se accitum, in vincula conjecit; reparatisqu ecclesiæ Aberdonensis injuriis, Adamum omni metu levavit, quem, ut parentem veneratus, postea inter præcipuos habuit consiliarios. Complura et fere innumera alia relatu indigna Alexandri suasu, priusquam in vincula conjiceretur a profanis quibusdam, qui regionem fœdissime depopulabantur, perpessus est episcopus; quæ omnia longius quam pro suscepto negotio esset enarrare. Secundum hæc, obtento ab rege ut Alexandri satellites Aberdonensibus agris et prædiis expellerentur, quo magis episcopi quieta fruerentur pace, Adamus, jam grandævus, cum morte vitam mutavit, post sacrum adeptum magistratum anno decimo, Christianæ originis nonagesimo supra millesimum ter cen- A. D. 1390.
tesimum, et Roberti Tertii anno tertio.

Quo anno GILBERTUS GRENLAU communi suffragio munus iniit pontificium, vir magnæ inter regni primores, singularem ob prudentiam, auctoritatis. Is, sacro sumpto magistratu, re Aberdonensi pacata, veteris turbæ amotis reliquiis, ad regis curiam consulendæ reipublicæ causa se contulit; ubi, ob antea expertam virtutem, haud parva habitus est veneratione. Imprimis ejus virtus perspecta, cum Puellarum Castrum (id nomen est munitioni apud oppidum nunc vulgo Edinburgum vocitatum) arctissima obsidione armis Anglorum, qui tunc Laudoniam cum suo rege Henrico fœde populabantur, undique cinctum miro ingenio levaverit, omnemque belli vim averterit a nostris: ob quod meritum, cum Robertus rex me-

liori uteretur fortuna, ipsum Gilbertum, secretioribus rerum agendarum consiliis admotum, suadentibus majoribus, suum vocavit cancellarium : quem magistratum tanta gessit dexteritate, ut nemo unquam ante majori. Haud multo post, rege Roberto vita functo, Robertus Albaniæ dux idemque Fifensis comes, demortui regis germanus, interrex, quem gubernatorem nostri vocant, primorum suffragiis creatur. Interea veniunt legati a Carolo Septimo, Francorum rege, ad gubernatorem atque primores regni, querentes incommoda ab Anglis illata, recentem cladem apud Cresciacum et Blangium acceptam, omnia in Gallia adversitatis et commiserationis plena : orabant nostri memores essent veteris inter ipsos icti fœderis, hactenus inviolati, auxiliares mitterent ad amicos, ad socios periculoso adeo bello laborantes : agros Caroli nomine præmium statuentes, majorum apud Gallos magistratuum officia et pecuniam, in Gallia trajicientibus, si rem Francorum prope adeo periculo, armis conarentur liberare. Audita benignius legatione, responsum a nostris, Francorum incommoda perinde atque sua sese ægre ferre ; initum fœdus nunquam sua culpa labefactandum ; placere omnibus ad amicum populum auxiliarium decem millia (quo magis Scotorum animi in Francos dignoscerentur) mittere in Galliam ; cætera quæ in eo negotio agenda forent Caroli regis permittenda arbitrio. Neque res dilationem accepit ; mittuntur illico in Galliam comes Douglasius, et comes Bouquhaniæ, cum delectorum militum decem millibus, qui Francis ad Anglorum vim arcendam suppetias ferrent : mittitur et noster legatus a gubernatore atque magistratibus ad Carolum, qui regem consolaretur, et certiorem faceret, eos qui Galliam adjuverant, et totius

Scotiæ incolas, adeo in ejus fide et amore perstare, ut sese atque fortunas omnes pro illius Francorumque regni salute tribuere ex animo sint parati. Idque rei exitus probavit; nam ex ea multitudine qui in Scotiam cum Aberdonensi antistite revertebantur, vix quadraginta bello superfuere, comite Douglasio, comite Bouquhaniæ, duobus gubernatoris germanis, multis cum nobilibus, cæsis apud Vernolium, ubi cum Anglorum copiis, pro Francorum salute, manus conseruerant. Haud dissimili pacto inter nostram et Francorum gentem ingenti nostro incommodo (ut annalibus memoriæ est datum) sanctitum fœdus, frequentius est firmatum multorum sanguine effuso. Gilbertus in patriam reversus turbæ plena reperit omnia. Jam perierat Robertus gubernator, accepto nuntio duos sibi germanos pugna infelici in Gallia, cujus jam memoratum est, occubuisse; et Murdacus Roberti filius simul cum hæreditate interregnum receperat. Erat Murdaci principatus multis odiosus, quod hebeti erat ingenio, nec satis idoneo ad summum magistratum: filiorum nimia insolentia tumescentium errores emendare minime curans, timens potius si castigarentur in se verterent arma, utpote qui per eos dies nobiles, agrorum incolas, abbatiarum patres, et sacerdotes templorum fœdissime vexarant, in omnem rapinam et flagitium dissoluti: qua iniquitate devenit ut Scotus populus, insolentis principatus impatiens, diversis factionibus laboraret, nobilioribus varie de publici regiminis forma sentientibus. Gilbertus, iniquum tempus exosus, tranquillioris jam vitæ spe sublata, Aberdoniæ se continuit: ubi haud multo post, longa ægritudine (quam ethicam medici vocant) corpore confectus fatis concessit, sui magistratus anno quarto supra tricesimum. In A. D. 1424.
choro cathedralis templi humatus.

Conventu inde facto ad in demortui locum alium sufficiendum, canonicorum consensu atque suffragio, HENRICUS, Cæsarei atque pontificii juris doctor, qui tunc Murraviæ divinarum rerum summam ministrabat, episcopus postulatur. Erat Henricus familia nobilis, fortunis opulentus, doctrina insignis, vita gravis, et ob hoc ad Aberdonensis ecclesiæ jurisdictionem et religionem, magistratus absentia paulum labefactatam, reparandam, simul atque templi ædificiorum absolutionem, omnium sententia commodissimu Hunc, ubi Aberdonensem pontificatum delatum sibi acceperat, aliquandiu immotum stetisse ferunt, tandem ita locutum : Aberdonensem jam novi eam sacram ædem, quam ut deiparæ virgini ædificarem aliquando ab ea monitus fui per quietem : oraculum sequar, sacrum Aberdonensem magistratum (ea duce) obibo ; ad labentem ejus domum et condendam et reparandam, quoad potero, excubabo. Dicto inde Moraviensi ecclesiæ pastore, Aberdoniam concessit, ubi benevolo affectu et multo honore a clero susceptus (flexis animi et corporis genubus) episcopus ab omnibus consalutatur. Nota viri probitas, probataque sanctimonia, gratum adeo ejus fecere adventum. Neque prius pontificias ædes ingredi optimo placuit pontifici, quam templi inchoati operis inspecti complementum sua pro virili dei genetrici devovisset : inde non multo post temporis, tyrannis ex Aberdonensis ecclesiæ agris explosis, undique rebus pacatis, labefactaque religione reparata, meliori vivendi instituto sacerdotibus formatis, lapidum, calcis, atque aliorum quæ ad ædificia necessaria videbantur, strues et congeries coarcervari jubet, latomos undique ad templi conditionem accersit : quam non multo post deserere coactus est, accersitus

ad ortum dissidium, ob interregnum, tollendum inter Murdacum atque Robertum Murdaci filium. Tulit enim insolens filius ægerrime patris imperium. Murdacus Roberti errores (sed sero) nixus est emendare. Quem cum flectere non poterat, Parthi (nunc Sancti Joannis oppidum vocant) majorum regni conventus est factus, ubi, post longam de reipublicæ felicitate consultationem, placuit omnibus Jacobum Primum regem, qui tunc in Anglia captivus tenebatur, redimere. Id omnium sententia ad populi quietem, ad regni splendorem, plurimum attinere videbatur. Ad hoc negotium objectatus Aberdonensis episcopus mittitur ad Henricum Anglorum regem, ad Jacobum redimendum. Ardua res et difficilis proponebatur. Poterat enim Anglus facile suspicari Jacobum, quem, minorem annis, Roberti patrui insidias fugientem ad eum veluti optatum refugium, dictis induciis injuste ceperat, publicamque conjecerat in custodiam, inimico in eum animo futurum, Francorumque regi (quem magna tunc regni parte spoliaverat) allaturum suppetias. Res tamen opera et interventu Henrici episcopi brevi est confecta. Reducto inde rege Jacobo in patriam, Henricus ubi cum Anglorum rege benevolentiæ causa (eo id poscente) aliquandiu moratus fuisset, revocante Jacobo, in Scotiam est reversus. Ubi posteaquam multa consultatione regem ad patriam (quæ principis defectu obbrutuerat) ad compositiores mores reducendam accenderat, ad Aberdoniæ susceptum opus complendum revertitur: templi parietes simul cum duobus campanilibus turrium instar ad ejus occiduum undequaque consummat: tertium relinquit imperfectum, morte correptus, pontificatus sui anno decimo octavo, et Jacobi Secundi anno quarto, Christianæ

A. D. 1440. salutis quadragesimo supra millesimum quater centesimum. Sepultus est is pontifex in divi Joannis Evangelistæ sacello sui templi cathedralis, quod ad id data opera extruxerat.

Secundum hoc, Aberdoniæ conventu habito de creando novo pontifice canonici habuere rationem. Ubi INGERAMUS, pontificii juris doctor, vir nobilis, de celebri ac veteri Lindesaiorum familia, magno omnium applausu, episcopus creatur. Qui statim, peractis quæ de more in consecrandis pontificibus fieri consueverant, ad templi consummationem animum adjecit. Verum Alexandri cujusdam regii familiaris (qui se, incertum quo jure, pro Aberdonensi antistite gerebat) opera ad summum pontificem vocatus incepto destitit. Putabat Alexander Ingerami (qui senex admodum erat et valetudinarius) cita morte sese pontificatum adepturum. Sed sua falsus est opinione. Nam Ingeramus, quem Alexandri commentum non latuit, in Galliam proficiscitur: secunda inde navigatione duodecimo die posteaquam e portu Massiliensi solverat, Romam pervenit: ubi comiter et benigne susceptus, causam dixit ita ut Alexandro nullus calumniandi relinqueretur locus. Laudatus itaque Ingeramus ob virtutem magnitudinemque animi a summo pontifice, postquam aliquot menses, pietatis causa, Romæ moratus fuerat, terrestri itinere reversus est in patriam: adeptus eo labore meliorem præter omnium spem totius corporis valetudinem, præterquam quod inter pedum digitos marino frigore morbum (gemursam vocat Plinius) contraxerat, qui ei ad vitæ finem duravit. Confirmatus, quo diximus modo, Ingeramus in sua sede, ad cœpta templi ædificia (ut semper in animo

habuit) apposuit manus; præparatis ex tignis simul compactis facta lacunaria trabesque parietibusque imposuit: lucunaribus tectum, secto lapide stravit pavimentum: portis appositis valvis, quæ ad parietum, tecti simul atque pavimenti, complementum ornatumque attinebant, sumptuose satis adhibuit. Inter hæc tamen externa negotia, studium literarum non intermisit. In sextum enim Decretalium et Clementinas accuratas atque erudito viro dignas edidit enarrationes. Extant codices viri diligentiæ indices in re literaria. Pauli autem Epistolas magna admodum veneratione et amore amplexus est, quas in sinu semper habuit, verbatimque edidicerat. Inchoavit in eas commentarios, sed non perfecit. Paulo vitæ ante exitum, regi parum acceptus habebatur, quia ecclesiastica sacerdotia quæ tum forte rectoribus vacabant, ejus suasu aut jussu potius, iis dare nolebat, quibus, vel propter ætatem vel ignorationem tum literarum tum rerum humanarum, nequaquam committi debebant. Constans in promissis servandis habebatur; splendidus in familiæ victu, parcus in suo. Familiares habuit septentrionalis regni partis nobiliores, majorum præsertim primogenitos virosque eruditos; atque horum opera in rebus gravibus utebatur, illorum autem exemplis optimis tenera imbuit pectora. Exornare Dei ecclesiam ædificiis et ornamentis, hominum animos optimis disciplinis et moribus, semper est annixus. Moritur tandem, his atque aliis multis gestis insignis, posteaquam septemdecim annos tenuerat pontificatum, et Jacobi regis Secundi anno vicesimo secundo. Dum ejus funus effe- A. D. 1459. retur, Aberdonenses cives et matronæ probiores, per dolorem lachrymantes, cadaver magna veneratione sunt deosculatæ: tanta Ingera-

mum et vivum et mortuum reverentia prosequebantur. Humatur in choro Aberdonensis basilicæ, ubi moles ejus, cum effigie lapidi artificiose satis insculpta, celebrem in viri memoriam postea per amicos est exstructa.

THOMAS inde SPENS, antiqua ejus gentis ex familia, Aberdonensem pontificatum est adeptus, vir incredibili prudentia; quod continuata in eum benevolentia regum, varia nonnunquam sentientium (ut sequentia docebunt) apte demonstrat. Erat Thomas acri semper ingenio et ad magna gerenda accommodato. Hunc privatum Jacobus Secundus præcipuos habuit inter amicos: donatoque Gallovidiano archidiaconatu, simul atque Lincloudana ecclesiastica præfectura, ad Carolum Septimum, Francorum regem, mittit oratorem, ad nonnulla quæ ad utriusque regis commodum spectabant conficienda, gratulatumque quod post pene victam fortunam, principio in eum adeo desævientem, regnum recipere Dei benignitate incepisset. Adierunt et Galliam regis jussu cum Thoma delectorum militum tria millia, ad populum recenter ad Carolum regem suum conversum in ejus fide retinendum; quibus ubi in Galliam venerant præfectus est Robertus Patillocus, rei militaris peritissimus. Is dudum, superatis pulsisque e Vasconia Anglis, Vascones regi Carolo audientes fecerat. Carolus adventantem Thomam benigne est complexus, eumque, pactis rebus functaque legatione feliciter, ubi præstantissimas ipsius virtutes fuerat expertus, inter suos consiliarios numeravit, regeque Jacobo permittente, secum in Gallia retinuit. Functus est inde legationibus compluribus pro pace et rerum tranquil-

litate ad varios principes; quibus, ejus opera et interventu, res difficillimæ ex Caroli sententia sunt confectæ. Neque minus valuit viri prudentia ad civitates, quæ tum ab Anglis ad Carolum redierant, in quiete atque regis fide servandas: ob quod meritum trium aureorum millibus in annos singulos ab rege liberali est donatus. Sub id tempus, contendentibus de regno Anglorum Henrico Sexto et Eduardo Eboracensi, missus est Thomas ad Jacobum Secundum a Carolo legatus, ut regem moveret ad Henrici partes contra Eduardum tutandas. Nixus est enim Carolus insita benevolentia, quantum fieri per eum potuit, Henricum, multis adversitatibus agitatum, qui toties eum hostili manu persecutus fuerat, incommodis levare. Caroli postulatis Jacobus ex sententia respondit; Henricum profligatum, regno pulsum, amico animo ad se venientem recepit, denaque millia ad sumptus eidem tribuit. Haud multo post Thomas, Henrici suasu, negotiatoris habitu, quo minus foret cognitus, Angliam petit, exploratum quo in Henricum animo veteres essent amici: sollicitavit ea profectione miro ingenio nobilium quamplurimos ut Henricum in regnum restituerent. Seditio, per id tempus, inter Eduardianos est oborta, comite Varvici adversæ Eduardo factionis principe. Thomam discordiæ auctorem nobilium nonnulli (quos res non latuit) Eduardo detulere. Quam ob rem Eduardus ex illo hominem odio habitum ad necem est persecutus, et nisi fuga saluti citius consuluisset, ultimum haud dubie obiisset supplicium. Henricus accepto seditionis nuntio, coactis copiis, in Angliam movet, ut pulso Eduardo in regnum restitueretur. Post varia rerum discrimina, infelix exitus est insecutus. Sic enim fere res sunt humanæ,

illustrium præsertim virorum. Siquidem cui initia adeo fuere felicia, ut et Franciæ et Angliæ se regem gloriaretur, consenescens profugus, extorris, procul patria, postquam inter Francos et Scotos (quos secunda fortuna hostiliter adeo fuerat persecutus) refugium quæsivisset et subsidium : a suis captus ignobiliter, regnum utrumque, inde vitam in vinculis amisit. Ad Thomam redeo : is (ut diximus) Eduardum fugiens, Scotiam (ne ab Eduardianis, qui itinera observabant, interciperetur) petere recusans, in Galliam mendici habitu trajecit : ubi aliquamdiu est commoratus cum Carolo Septimo, qui eo familiarissime est usus, secutusque ejus sententiam in multis rebus gravibus agendis. Dimissus tandem a rege Carolo, in patriam navigio est reversus ; ubi, ob præstantissimas animi dotes, Alexandri Vaus, viri nobilis et eruditi, qui tum Candidæ Casæ rem sacram tenebat, opera, Gallovidianus episcopus est declaratus. In quem gravissimi viri officio semper est usus, honorandum senem ut parentem veneratus, ætatis imbecillitati quantum tum fieri per eum potuit subvenit : præsente sene, sese episcopum aut dominum appellari nunquam passus est : quæ Gallovidiæ, aut ubilibet in regno, sua opera secundiora commodiorave ad publicam utilitatem evenere, non suæ sed senis prudentiæ et auctoritati accepta ferebat. Ei exactissimos custodes tribuit, et nocturnos et diurnos, ne vel minimi incommodi quicquam præter senectutem inevitabilem seni argueretur accidisse: quem senio confectum et fessum vivendo, tandem extinctum, honore quo optimos et sanctissimos episcopos solitum est, magnis extulit impensis : et ne aliquid gratitudinis officium desideraretur, post bonis moribus et institutis Gallovidianam diœcesim

formatam, ubi ad Aberdonensem ecclesiam canonicis id poscentibus fuerat traductus, ut defuncti senis cognati, unus Gallovidianus episcopus, alter prior Candidæ Casæ, tertius abbas Tunglandiæ, et quartus Sedisanimarum abbas, crearentur, multis laboribus et impensis obtinuit. Alios autem ejusdem cognatos atque ex fratribus atque sororibus nepotes, quos omnes moribus et disciplina liberaliter instituit, sacerdotiis donavit, neptes viris nobilibus, fortuna opulentis, copulavit matrimonio. Exemplum quod hac nostra infelice ætate rari sunt imitaturi. Aberdonensis (uti est dictum) episcopus designatus, ob hæc gratitudinis merita omnibus admirationi esse cœpit: nec fuit ex nostris qui virum maximarum rerum administratione dignum non censeret; tanta acceptorum beneficiorum memoria, tanta in demortui senis amicos benevolentia atque gratitudo in eo conspicata. Sub id tempus, mittendi erant legati decreto publico ad Burgundiæ ducem, qui regia quædam negotia ad eum perferrent. Ad hanc provinciam obeundam Thomas noster, Aberdonensis jam antistes, omnium suffragiis deligitur. Qui in Flandriam postea ad ducem trajiciens, multitudine piratarum Anglorum, ad id Eduardi regis jussu instructa multis muneribus promissis, fugatus, vix fuga saluti consuluit. Neque prius manus evasit urgentium quam naufragus et pene nudus, omnibus fortunis amissis, in Hollandiam ejiceretur; tanta hominis capiendi libido, spe Eduardiani muneris potiundi, Anglorum animos incesserat. Thomas, naufragio hostium insidiis liberatus, ad Burgundionum ducem, uti habuit in animo, concessit: a quo vario magnificentiæ genere exceptus, regiis postulatis recitatis de reparandis quibusdam

injuriis, nostris Flandrinorum piratarum insidiis illatis, de negotiatorum Scotorum Brugas (id emporium est in Flandria) confluentium immunitate, et portoriorum, quibus nimium gravabantur, moderatione, aliisque arduis negotiis, ut ex regis arbitrio fierent omnia, facile apud ducem obtinuit. Inde rebus feliciter pactis, muneribus haud parvis donatus a duce Carolo (qui tunc Gandavi erat) dimissus, Brugas se contulit, in patriam inde trajecturus. Ibi casus Thomæ obtulit Eduardi sibi reconciliandi insperatam occasionem. Datæ enim literæ a duobus Eduardi aulicis (quos secretiori præfecerat cubiculo) ad nobiles quosdam Anglos ob majestatis crimen proscriptos, qui tum Brugis exulabant (incertum quomodo) in Thomæ manus pervenere. Continebant literæ, aulicos, conjuratorum quorundam suasu, consilium iniisse Eduardi regis noctu (accepto præmio) obtruncandi : fore propterea ut (tyranno sublato) ab exilio propediem in patriam reducerentur. Thomas, re cognita, conjuratorum injuriam detestatus illico Angliam petit, Eduardum ut insidias caveret moniturus. Qui ubi in offensi regis conspectum prodierat, traditis literis, Cum hanc, inquit, epistolam perlegeris, optime rex, cognosces te bonis et amicis infensum, malis vero et hostibus confidere. Proditorum in te injuriam nihil incuso, quod et lex sacerdoti vetat ; sed eam tibi significare volui, invicte rex, ne bello et rebus gestis egregius adeo, non virtute sed tuorum dolo superatus, inglorius interires ; unde Christianæ religionis borealis respublica haud mediocri jactura afficeretur bellorum mole, quæ tuo interitu strueretur. Eduardus ad primum Thomæ aspectum obstupuit. Mox ad se reversus, perlectis literis, conjuratione prorsus detecta, Thomæ

ob servatam salutem gratias reddidit, et ad retributionem beneficii nummum (nobiles de rosa appellitat vulgus) mille in annos singulos quoad vixit pendebat, et inter præcipuos habebat amicos. Hac profectione eo securitatis sese devenisse arbitratus est Thomas, ut deinceps patriam, aut terra per Angliam, aut per mare, repetere possit tutus. Dimisit inde Eduardus Thomam, quem, ob probatam vel in hostem fidelitatem, non uno magnificentiæ genere est deinde prosecutus. Brugas itaque rediens, naves præstolabatur, in Scotiam cupiens trajicere. Interea delatæ sunt e Scotia regiæ literæ ad ipsum præstolantem, quibus publico decreto jussum, ut Alexander Albaniæ dux, germanus regis, qui tum in Geldria cum avunculo agebat, reduceretur in patriam. Thomas regi cupiens obtemperare, ut omnia rectius securiusque fierent, ne, si dux Alexander in hostium manus trajiciendo deveniret, suæ daretur incuriæ, ad Eduardum Anglorum regem illico est profectus: apud quem recenti beneficio motum facile obtinuit, ut dux, accepto commeatu, aut terrestri itinere, aut trajectu, securus Anglorum insidiis, liber reduceretur in Scotiam. Habitis inde gratiis magnifico regi, Brugas revertitur. Nec diu ibi moratus. Comparatis quæ ad profectionem videbantur necessaria, naves, cum duce et militibus partim nostratibus partim ex Geldria accitis, conscendit. Itaque duabus cum celocibus profecti secundo vento, die tertia, cum Scoticam terram cernerent haud plus viginti millia passuum abesse, Anglicæ classis ab ultima Tyle (nunc Islandiam vocant) in Albionem trajicientis, quinque celoces, multo milite omnique bellico apparatu munitas, quæ ad mercatorum naves a piratarum injuria tutandas publice fuerant adhibitæ, obvias habuere.

Ita caligo diem eam obduxerat, ut non prius fuerint conspicatæ quam nostras celoces circumsisterent. Quod ubi nostri cognoverunt, primum in navibus trepidatum, inde furore atque desperatione vires ministrantibus, spe fugæ sublata, ad unum vim hostium arcere parabant. Contrahebant vela, et simul (ut navali fit prælio) componebant armamenta: duæ Anglicæ naves primum nostris sunt consertæ: acris pugna, æquo tamen Marte, sequuta, multis hinc inde cæsis. Stephanus, Anglorum dux, qui regia nave vehebatur, indignatione accensus, quanta maxima celeritate potuit, ad pugnam procedit. In nostras ferreas manus injicit, et ubi aliquamdiu manus cum nostris conseruissent Angli, duro prælio, multitudine et perseverantia victores transcendunt, dejectis cæsisque propugnatoribus qui pertinacius in pugna duraverant: utramque capiunt celocem. Thomas naves videns expugnatas captasque, Anglos vix cæde temperantes, Stephano, Albaniæ ducem in patriam celocibus vehi, et quis ipse esset, aperuit, animo, creditur, ut ad Eduardum traheretur. Tum Anglorum dux jussit ut qui ex nostris superfuere, subacti, salvi forent. Thomam episcopum captum in vincula conjecit: Albaniæ ducem haud secus quam regium decet adolescentem tractavit. Captas celoces misit Londinum. Postera die Stephanus, delecta cum militum manu, magno apparatu, Albaniæ ducem, cum captivis, Thomam vero vinctum, Londinum ad Eduardum, ducere occepit, spe muneris potiundi, quod eum virum præhenderit, adduxeritque ad regem; inscius quam carus, recenti merito, Thomas Eduardo fuerit effectus. Nec multos post dies, posteaquam Westmysterium est perventum, duce Albaniæ et Thoma ad regem adductis, cæteris captivis in carcerem

trusis, Aspice (inquit Stephanus) optime Rex; en Thomas, comitis Varvici et complurium nobilium Anglorum ruina; intestinæ seditionis, multorum bellorum, malorumque prope infinitorum hoc tuo in regno incendium; qui ut Anglorum optimates atque plebeii a tua fide deficerent, ut imperio dejicereris, quantum per eum fieri potuit, semper extitit auctor, meus est captivus, pro quo tot aliquando aureorum nummum millia spopondisti. Sume nunc tua pro libidine de homine supplicium, qui tot incommoda tibi tuoque huic regno astu intulerit et fraude, nec me (ut æquum est credere) promissa mercede, qui infestum adeo tibi hominem captum et vinctum adduxerim, fraudabis. Habes et Albaniæ ducem captivum, regium adolescentem, Scotorum principem, quem dum penes te retinueris, hoc tuum regnum omni Scotorum bellico tumultu incursionibusque levabis. Idcirco cave (modo tibi tuoque regno optime consultum volueris) aliquando Scoti reducem hunc videant adolescentem. Eduardus, ut erat vultu liberali, animo in omnes magnifico, primum Stephano ob merita gratias refert. Mox Albaniæ ducem in amplexus acceptum regio honore est prosecutus. Thomam, præter Stephani et qui cum eo venerant opinionem, humane intuitus, Hic (inquit) Stephane, veluti multorum saluti insidiator, si quæ feruntur vera essent, suppliciis (ut ais) foret afficiendus, si non unus meam servasset salutem: propterea insidiarum multorum, ejus fortasse præcipua opera, in meum caput regnumque olim paratarum (quorum præcipui admissi in se majestatis criminis dignas dedere pœnas) aliquando oblivisci possum; meæ nuper salutis servatæ nunquam; qui, procul dubio, nisi hic citius occurrisset, conjuratorum quorundam, quibus

meam meique regni salutem credidi, periissem insidiis. Ne mireris idcirco si hunc (quem hostiliter aliquando persecutus sum) nunc clementia hortante, quod regum more ad ignoscendum quam ulciscendum propensior esse debeo, benignius amplector. Enimvero huic viro non modo meas fortunas sed et animam debeo. Quod ad te attinet, paria tuis meritis mea pro dignitate recipies. Et virum muneribus donatum magnifice dimisit. Alexandrum ducem et Thomam voluit regio essent hospitio, omnique humanitatis et honoris genere a suis afficerentur: facto inde aliquot post menses senatu (quod parliamentum vocant) Londini, Anglorum majoribus coeuntibus, posteaquam de arduis reipublicæ negotiis erat consultatum, deductum in consultationem Albaniæne duci in Scotiam redeundi libere facienda potestas, an penes Anglos, adhibitis custodibus, continendus. Censuere nonnulli captivum adolescentem in Anglia continendum, donec injuriæ omnes, Northumbriis Scotorum crebris incursionibus illatæ, repararentur, obsidibus datis de novis deinceps non inferendis; præsertim quod Northumbriis nuper ingentem prædam, tum hominum, tum pecoris, agris abactam, Scoto guardiano (sic eum vocant magistratum) quæsti, nil aliud quam responsum risus plenum recepere, ipsos in pecoribus, quæ facile adeo aberrare possent, spem nimiam collocasse; astutiores fore, si colendis agris, ob nimiam Scotis vicinitatem incultis, qui facile abigi non possent, operam impenderent. Addidere, Scotos, dum Albaniæ dux penes Anglos esset, eruptiones facere in Northumbrios, Cumbriosve, aut pecuariam inde rem abigere non ausuros: eo vero vel ingenti pecunia redempto et in patriam reducto, donec abactis ex Anglia præ-

dis damnum reciperent, minime quieturos. Multi hanc sententiam secuti. Alii, suadente Thoma, longe aliter existimavere; fidem vel hosti servandam, regium commeatum minime violandum, haud decere tantum regem violatæ fidei posse insimulari, non esse Britannicæ virtutis quavis cum gente dolo contendere. Multum ad Anglos attinere, qui Scotis et opulentia et virtute semper fuere superiores, illatas injurias quando aliter reparare non possent, non dolo sed paribus incursionibus populationibusque, imo plane si opus fuerit Marte ulcisci. Idcirco Albaniæ ducem contra regiam pollicitationem minime in Anglia retinendum. Mittendum in patriam, regioque more comitandum. Id ad Eduardi spectatam fidem, probatam virtutem Anglorum, regni splendorem, plurimum attinere. Vicit hæc sententia: quam secutus, rex Alexandrum ducem, delecto cum equitatu apparatuque magnifico, et Thomam episcopum, omnibus cum captivis (celocibus restitutis) mittit in Scotiam, ubi Jacobus rex expectatum fratrem adventantem incredibili lætitia recepit: nobiles Anglos, qui ducem venerationis gratia fuerant comitati, benignius complexus, omni honoris genere affecit: quos, ubi regiis conviviis aliquot dies ornaverat, asturconibus variorum generum, accipitribus venaticis, odorisequis et sagacibus canibus, aliisque amplissimis muneribus, regia pro dignitate, donatos a se dimisit in Angliam; missis cum eis legatis, quorum præcipuus Thomas noster, ad Eduardum, qui magnifico regi ob expertam in germanum tantam benevolentiam gratias agerent; pacem et fœdus jam antea inter reges et populos initum, piratarum et latrunculorum quorundam incursionibus, quantum per eos fieri poterat, paulum labefactatum reno-

varent; injuriarum omnium sponderent reparationem. Thomas, et qui cum eo legationem agebant, ad Eduardum venientes, comiter multaque veneratione sunt recepti. Audita regis postulata, quæ ad utriusque populi tranquillam pacem felicemque successum attinebant, vehementer omnibus sunt probata. Inde legatis ex sententia responsum. Defunctus hac legatione Thomas in patriam revertitur, tribus regibus, Franco, Anglo, et Scoto, haud idem undequaque, et nonnunquam contraria et inimica sentientibus, carus, atque inter præcipuos numeratus consiliarios; quod excellenti probitati, exquisitæ prudentiæ, admirandæ virtuti, omnium existimatione erat tribuendum. Perseveravit viro constanter hæc apud tres reges benevolentia ad vitæ exitum non sine laude et admiratione, quam multo, pro eorum pace, pro regnorum quiete, meruit sudore. Nam quod periculoso bello inter Anglos et Francos, Eduardi et Ludovici Undecimi memorabili congressu mutuaque allocutione apud Pinquigniacum in Ambianorum agro, sine alterius jactura, imo utriusque commodo, finis fuerit impositus, Thomæ magna ex parte fuit opus: quod inter Jacobum Tertium et Eduardum tot annos fœdus inviolatum et pax firma permanserit, Thomæ ulla sine controversia tribuebatur. Reversus igitur, uti est dictum, Thomas in Scotiam, legatione feliciter acta, pace et fœdere inter reges et populos renovato, qui et privatus et publicus hactenus aliis vixerat, semper aliena, semper maxima obiverat, jam sibi vivere cupidus Aberdoniam concessit. Basilicam ornamentis compluribus donavit, sacris vestibus, cappis, casulis, tunicis, Dalmaticis (ut dicunt) variis ex auro textili, argenteisque vasis ad usum in sacris; præcipuum altare tabula et statuis miri artificii adhibitis ad decorem,

vestibus pendulis, et cortinis textili ex auro, bisso, villosa, undulata, palmata. Sellas veteres in choro (stalla dicunt) vetustate pene attritas, quibus sacerdotes ad sacra exequenda sedebant, amovit. Novas mira arte et pulchritudine restituit, cum cathedra pari arte et pulchritudine ad episcopi usum. Pontificias ædes de integro ædificavit cum turribus et propugnaculis, veteribus demolitis. Edinburgi (quod eo in oppido fuerat educatus) auctor fuit, ut ædificarentur ædes publicæ (hospitale vocant) ad egenos accipiendos, magnis impensis, perpetuoque statutis suis sumptibus nutriendos, qui opulenta ex fortuna extremam in pauperiem forte aliquando devenissent, vestibus cæterisque ad vitæ necessitatem datis, tributis. Impensæ ex agris in vicinia, quos ingenti pecunia comparaverat, proveniunt. Tandem Thomas noster, præsul semper venerandus, carus Deo, et de hominibus bene meritus, qui incredibilibus laboribus principes et majores hujus præsertim regni concordi pace retinuerat, suos bonis instituerat moribus, omnes vero ad virtutem et sanctimoniam suo exemplo incitaverat, pontificatus sui anno vicesimo primo, Jacobi Tertii vicesimo, et Christianæ salutis millesimo quadringentesimo octogesimo, Edinburgi moritur xv. die mensis Aprilis. A. D. 1480. Postridie, rege præsente, sex episcopis, multis cum nobilibus, ejus funus celebri pompa est elatum, atque in templo Sanctæ Trinitatis Collegii Reginæ sepultum.

In Thomæ locum, ROBERTUS BLAKATAR, in divinis et humanis literis eruditus, summi pontificis auctoritate creatur episcopus. Vir familia nobilis, magni et constantis animi, qui tum

Romæ Jacobi Tertii jussu legatione fungebatur : ubi sacris ex institutis episcopus consecratur. Moratus inde ibi quoad res ex sententia perfecerat : tandem a summo pontifice dimissus, partim terrestri itinere partim navigio, Aberdoniam venit. Occurrere nobiles qui in vicinia sedes habuere, et Aberdonenses cives, honorationis causa, adventantem, veluti expectatum pastorem magna veneratione suscipientes. Robertus, ut mos est, præsentibus canonicis, juramento de fideli administratione præstito, in Aberdonensi sede est confirmatus. Ubi paucos moratus dies, ad regem accitus, quæ Romæ cum summo pontifice regio egerat nomine, quanta veneratione habitus, quam feliciter publica negotia peracta, facta concione, coram regni majoribus enarravit : laudatus idcirco a rege. Nec fuit ea in concione qui virum amplissimis honoribus dignum non judicaret : regius propterea consiliarius designatus, inter eos qui de arduissimis reipûblicæ negotiis disserebant, jubente rege numeratus est. Interea Roberto, eorum epistolis quos Aberdonensi rei abiens præfecerat, significatur, Brassam, Aberdonensis ecclesiæ agrum, montanorum quorundam excursionibus fœde populatum. Ad eum nuntium Aberdoniam illico concessit, ubi grassatores cum eorum duce diris execrationibus primum est prosecutus. Postea invitatis regiis copiis, prædonum impetus, qui pertinaciter ecclesiasticis monitis obtemperare recusassent, non modo repressit, verum coegit quæ cepissent restituere. Secundum hæc facta, sacerdotum synodo varias edidit sanctiones pro religionis observatione, pro divini cultus augmento ; æquassetque priores pontifices, religiosarum et urbanarum actionum celebritate et gloria, si non, fortuna ad majora vocante, ad

Glasguensem pontificatum fuisset traductus. Sub id tempus res Scoticæ intestina seditione jactari cœperunt. Gerebatur tum bellum inter Eduardum Anglorum regem et Jacobum Tertium. Eduardo in Scotiam magno cum exercitu contendenti, Alexander Albaniæ dux, hostis a rege judicatus, suis cum copiis est adjunctus. Huic Scotorum complures favebant, quibus Jacobi imperium erat odiosum, quod quorundam (ut ferebatur) obscuræ originis, quos secretiori admoverat consilio, in publica administratione sententia utebatur. Spectabatque jam res (excandescentibus primatibus) prope ad defectionem. Unde effectum, ut regem, magnas copias Eduardo obviam in Angliam ducentem, primores circumsisterent, donec (ut prius erat consultatum) apparitores, quibus negotium erat permissum, nefarios, quorum sinistro consilio complura incommoda multi fuerant perpessi, fortunis omnibus exutos et raptos ad supplicium, laqueis vitam finire coegissent. A. D. 1484.

Ad nostrum redeo institutum. Roberto, quo diximus modo, ad celebrem Glasguensem ecclesiam traducto, in ejus locum non tam omnium consensu quam desiderio WILHELMUS ELPHINSTONUS suffectus est: homo (quod sine invidia licet dicere) omnium qui nostro fuerunt tempore prudentissimus: cujus vita tametsi rudiori stylo quam tanta res exposcat, fideliter tamen exequar, quod viri actiones ferme omnes, et urbanas et religiosas, nostris oculis coram positas habuimus. Vidimus hominem, quem vidisse, singularem ob præstantiam, et nobis gaudemus, et Deo optimo maximo non vulgares habemus agimusque, et habebimus atque agemus, dum

vivemus, gratias. Ad hunc igitur virum nostra est oratio traducenda. Is in inclyta Glasguensi civitate, et universali schola insigni, natus, ex vetere Elphinstonorum familia habuit originem. Vix quartum agens annum, quum custodum incuria forte aberrasset, diu quæsitus, in Glasguensis basilicæ sanctiori sacello ante divæ virginis simulacrum invenitur prostratus : unde extractus, vix sine fletu atque clamore puerili domum reduci potuit, tanta imaginis contemplandæ cupido (ut apparuit) animum pueri incesserat, omen, multorum judicio, religiosæ pietatis in Dei matrem in eo futuræ. Septimum agens annum, laudatissimis præceptoribus traditur bonis moribus et disciplinis imbuendus. Ubi quum aliquandiu grammaticæ operam dedisset, ingenio ætatem superante, ita profecit, ut jam tunc qualem postea se præstaret, polliceri et de se spem facere certam videretur. Delectabat Glasguensem antistitem pueri indoles usque adeo ut non prius cœnare placuerit, quam accersitum Wilhelmum aut dictata aliqua aut carmen audierat recitantem. Delectabant omnes pueri mores, ingenium, speciesque, qua admodum pollebat, ut jam non obscura essent in Wilhelmo literarum atque virtutum seminaria ; omnium oculis gratus, omnibus erat acceptus. Haud prætereundum hic censeo, quod Wilhelmo adhuc puero contigit. Visus fuerat vidisse per quietem, sese ante divæ virginis simulacrum, utroque genu posito, ut vigilans frequentius consueverat, attentius Deiparam obsecrasse ne se in facinus aliquod detestandum labi, neve turpitudinis aliquid per voluntatem admittere sineret, ut tandem quiete et sancte ad felicem vitæ exitum duceret : virginem respondisse, Virtuti te totum accommoda, et ubi pontificatum

quo te donabo fueris adeptus, Christi religioni consule, meis templis instauratis. Ingemuit adhuc dormiens puer, querulas voces emittens, quem præceptor, qui tum aderat, excitatum rogavit insolitæ vocis causam: flens puellus ad præceptoris verba, qui haud aliud ac præceptorem vereri atque in omnibus obtemperare tum noverat ob ætatem, ægre quod visus fuerat videre, edicit: præceptor, ut prudens erat atque perhumanus, fletum cohibere, tacere rem jubet adolescentem, virtuti se dare, in somniis minime confidere, tacitus animo volvens, tacitus considerans aliquid altum sublimeque in puero Wilhelmo futurum. Puerilibus dehinc annis quietem et taciturnitatem adamavit, præceptoribus familiaribusque facilem sese præbuit et obsequentem; adeo ut multi futuræ constantiæ magnanimitatisque in eo seminaria cognoscere inciperent. Ita primævam ætatem literarum studiis, tanto tamen ingenio non satis dignis, consumpsit. Vicesimum attingens annum, ad dialecticam et physicam se contulit: ubi aliquantisper versatus, adeo profecit ut brevi superaret æquales. Consummatus in philosophia, quintum annum supra vicesimum agens, magistratus insignia in liberalibus disciplinis simul atque sacerdotium est adeptus. Distractus enim a studiis aliquot annos, parentum non adeo ut corporis sunt curæ, parentali rei familiari præficitur, ubi incredibili prudentia, dexteritateque inaudita, omnium cum benevolentia, sese gessit. Ostendit Wilhelmus (tametsi ad literas maxime natus videbatur) ingenium tamen sibi ad rem domesticam et urbanam accommodatum; spemque ingessit amicis et eruditionis et futuræ prudentiæ. Rem domesticam cito vilipendens (quod ad altiora tenderet) gloriæ, modestia servata, cupidus, ad pontificii juris studium sese

contulit. In Glasguensi generali gymnasio, aliquot annos probatos audivit præceptores. Sese inde dedit negotiis forensibus, ubi justi et æqui amatorem se præstitit. Nunquam cujusvis damno inhæsit, injusti censor acerrimus, æqui excultor, pauperum defensor, adeo ut non pro nummis, sed æquo et justo patrocinari diceretur. Hinc devenit ut pauperum atque miserorum advocatus haberetur vulgo. Sed sive amicorum importunitate, sive quod de se parcius (ut modesti est animi atque prudentis) sentiret, a causis forensibus abstinuit, ad otium se conferens ; ubi quæ sub præceptoribus audierat, rimari, digerere, secum discutere poterat commodius. Rus concessit, in templo divi Michaelis, ubi, pastorali cura ei collata suis, ut ita dicam, parochianis, quatuor annos sacra peregit, nunquam otiosus, nunquam torpens : nulla eum hora, nullum tempus præteriit, in quo non vel scribebat aliquid, vel dictabat, vel excerpebat, vel literario studio, vel diurnis aut nocturnis precibus horariis se dabat. Fuit autem Wilhelmo vitæ institutum privato Christiano dignum ; in quo orationi lectio, et lectioni oratio perpetuo succedebat. Sed ad majora natus, vitæ genus adeo privatum diu agere nequivit : revocatus a patruo Laurentio Elphinstono, viro optimo, ad Glasguensem civitatem, dure est ab eo increpitus, quod ingenium adeo præstans, adeo acre, et ad familiæ decus atque utilitatem natum, non undequaque coleret. Adjecit, procul patria, procul parentibus eundum, ubi peregrinis moribus et disciplinis imbueretur, si ad magna contenderet ; honorem et dignitatem laboribus, rerum scientiam peregrinationibus, comparari ; impensas, quibus opus foret, se largiter suppeditaturum. Moverunt Laurentii tempestiva verba

Wilhelmo animum ad aliquo proficiscendum. Nec diu res dilationem accepit; quibus enim ad peregrinationem rebus opus erat comparatis, animi plenus, in Galliam trajecit: Parisiorum celeberrimum musæum, universale studiorum gymnasium, adivit: ubi tantam literis diligentiam impendit, ut anteactæ vitæ labores ad hos collatos otium diceres. Die aut oratores audivit aut pontificii juris professores: noctu, quæ audiverat interdiu, solus recitavit. Parcissimus somni, cibi minimi: laborum patientissimus, ut interdiu an noctu literis plus insudaverit haud facile judicares. Lucubrationes itaque, prudentia, et eruditio, in Wilhelmo conspicatæ (nulli enim in obscuro esse poterant) Parisienses traxere in admirationem. Non potest diu virtus obtegi: effert ipsa sese, et quo plus occultatur exsurgit illustrior. Ad pontificii igitur juris professores accitus Wilhelmus, post laudatam in re literaria diligentiam, modestiam, eruditionem, primarii lectoris munere (quod non nisi eruditioribus in utroque jure Parisiis concedi solet) est donatus; ubi brevi tantum profecit, tantam sacris canonibus enarrandis adhibuit diligentiam, ut pontificii juris studiosi in eum unum oculos converterent omnes, tanto silentio, tanta animorum attentione audiretur, ut antea majori nemo. Sex annos frequentibus auditoribus pontificium jus enarravit; quibus exactis, ubi in sacris decretis laurea fuerat donatus, Aureliam se contulit, ubi aliquot moratus annos difficillima et abditissima quæque legum una cum professoribus juris qui illuc tum eruditissimi habebantur, conferebat: adeo docte eruditeque, aptis verbis, ad rem quam optime accommodatis, concionibus publicis proposita quædam legum doctoribus coram frequentius

patefecit, ut omnibus incredibili admiratione haberetur, summo honore, summa afficeretur veneratione; unde effectum ut Wilhelmi nomen apud Francorum magistratus tam excellenti æstimatione haberi sit cœptum, ut ejus sententia Parisiensis parliamenteus senatus in magnis rebus decernendis nonnunquam uteretur. Mansit viro is honos inter Francorum majores: augebatur etiam indies benevolentia. Dum in Galliis egit, fuere complures quibus viri societas grata erat admodum atque jucunda: horum præcipuus Joannes de Gana, qui postea magni cancellariatus Franciæ munus gessit, vir inter Francos tunc præcipuæ eruditionis et auctoritatis. Uterque alterum tanta caritate, tanta necessitudine, est complexus, ut nunquam antea socii aut fratres majori: quæ utrique firma ad vitæ exitum perduravit. Interea ad natale solum a parentibus est accitus, ut literarum fructum, laboriose adeo partum, ad familiæ decus, et ad patriæ utilitatem accommodaret. Nono itaque anno quam in Galliam trajecerat, Wilhelmus noster, eloquentia et eruditione ornatus, in Scotiam reversus, ad Glasguensem episcopum primum divertit, quod is literarum literatorumque singularis esset excultor: a quo acceptus perbenigne, magna veneratione est affectus. Dubia ædam ardua pontificii juris, publica concione proposita, gravissima et prope extemporanea oratione ita patefecit, ut antistitem simul et Glasguensem clerum in admirationem traheret. Ergo quod eruditione polleret, ingenio esset perspicaci, oratione valeret plurimum, Glasguensis officialatus dignitate est donatus; quæ tum amplissima erat, et non nisi eruditissimis tributa potestas. Hanc Wilhelmus mira dexteritate administravit; justitiæ

excultor, calumnias litigantium coercens, bonorum extortoribus, legum contortoribus, nunquam parcens; adagium illud frequentius habens in ore, Bonis nocet, qui malis parcit. Hoc pacto fundamenta jecit futuræ magnitudinis. Sed non potuit tantum lumen sub modio abscondi; non potuit intra solum Glasguensem agrum contineri: a rege Jacobo regnique primoribus Edinburgum est vocatus, ut in rebus arduissimis ejus decreto uterentur: ubi et Sancti Andreæ officialatum feliciter egit. Haud multo post inter regios consiliarios relatus, æqui ac probi respectu religiosa observatione semper est versatus: nihil sibi judicans utile quod parum honestum cuiquam jure videri poterat. Hinc Wilhelmi nomen percelebre est habitum. Hinc Wilhelmus maximis de rebus deliberandis frequentius accersitus. Hinc ejus decreta omnibus probata. Ad feliciora trahentibus eum fatis, profectus una cum Dunkeldensi episcopo, Buquhaniæ comite, et regni (ut ita dicatur) justitiario, orator Jacobi Tertii ad Lodovicum Undecimum, Francorum regem, delendæ suspicionis causa, apparentisque dissidii inter reges oborti sceleratorum atque impurissimorum quorundam impulsu, non sopivit solum eam ac pressit, sed elegantissima oratione, quam rege coram habuit in Francorum senatu, summovit penitus atque extinxit. Qua in re Lodovoci tantam est benevolentiam assecutus, ut eum inter suos consiliarios numerari juberet. Orationis non sententiam solum, sed et verba, ne quid varietur, visum est referre, ut quantum prudentia pollebat, quantumque valebat eloquentia, dignoscant qui eam legerint. Dato Francorum senatu, Wilhelmoque dicendi facta potestate, Vellem (inquit) Christianissime princeps, Francorum rex

illustrissime, ea mihi dicendi vis, vel naturæ benignitate concessa vel longa studiorum exercitatione parta esset, quæ tuæ clementiæ aliqua saltem ex parte possit convenire. Sed ab Aonio fonte (nescio quo deo) prohibitus, eo deveni ut oratore dignum nihil unquam præstare potuero : idcirco non miraberis, spero, si me, omnis dicendi artis expertem, balbutientem potius quam dicentem audieris, tuaque coram regia majestate, in tanta præstantissimorum nobilium circumfusa corona, conspexeris pallentem, voce corporisque membris tremulum, trepidantem. Ecquis, Christianissime rex, vel consummatus orator, te coram, qui non minus eruditione polles quam belli gloria, dicturus non expavesceret? Veniam propterea dabis obsecro, si minus te dignum attulero (neque enim hoc conabor, nam quis, quæso, id poterit præstare ?) qui non mea temeritate huc accesserim, sed Scotorum regis illustrissimi (qui te præ cæteris principibus et colit et veneratur) mandato, cui mihi contraire fas non est. Malui igitur tibi, insita benevolentia fretus, quædam (etsi exigua) ad communem rem attinentia audentius afferre quam postergatis regiis mandatis quovis modo tacere, amicitiæ (quod ea ad rem nostram maxime attineat) nostræ utcunque orationis primas partes accommodando, per quam unam parantur imperia, parta conservantur. Hæc regum delectabile vinculum, hæc stabilimentum regnorum, hæc pacis et tranquillitatis mater, justitiæ cultrix, misericordiæ clementiæque parens ; sine quibus nec reges regnant, nec stabiliuntur imperia, nec civitates consistunt, nullus demum publicus aut privatus sibi patriæve aut vivere aut prodesse potest, quod nullum bonum sit in vita quod amicitia non sit, aut amicitiæ conjunctum.

Sic prisci philosophi existimavere, sic asseveraverunt divinarum atque humanarum rerum periti: imo amicitiam rem esse divinam, nemo omnium fuit qui non contenderet. Præclare igitur Cicero exclamat: O præclaram sapientiam! solem e mundo tollere videntur qui amicitiam de vita tollunt, qua nihil a diis immortalibus habemus melius, nihil jucundius. Et Aristoteles noster perpulchre admodum: Nemo habens cætera omnia bona, sine amicis expeteret vivere. Nam et locupletes et in principatu potestateque constituti plurimum amicis indigere videntur. Quid enim prodest prosperitas, beneficio sublato, quod quidem maxime fit in amicos, ac maxime commendatur; aut quonam pacto sine amicis custodiri conservarique potest? Quo namque magis quispiam abundat, eo magis periculis subjacet: in paupertate, aliisque calamitatibus, unicum refugium amici putantur. Et ut paucis complectamur multa, amicitia ea est concordia, qua stante, parvæ res crescunt, qua amota, res magnæ dilabuntur. Videmus et animantium quibusdam absque rationis usu, his præsertim quibus mansuetum miteque ingenium, equis, bobus, ovibus, reliquis quoque simili præditis natura, suo more amicitiam inesse: aliis feroci, crudeli, inmansuetoque ingenio natura procreatis, quæ in suum et in alienum genus sæviunt, perpetuam contentionem. Hæc tametsi, ob ineptiam ad humanum usum, raro mactata, aeris autem inclementia absumpta nunquam, exiguo tamen semper et pene eodem persistere numero: illa vero, quotidie et humana gula populata et sævientibus feris, cœli quoque injuriæ semper obnoxia, abundare, in majoremque indies excrescere numerum. Indicium profecto amicitiam ad rerum omnium incrementa in vita

summe necessariam. Hæc paucula de amicitia placuit referre, ut eam cunctis mortalibus, sed principibus maxime, complura commoda afferre, regnaque maximis incommodis levare, ostenderemus. Sed ad institum veniamus. Jacobus Tertius, illustris Scotorum rex, cujus nos quantulumcunque oratores, te regem Christianissimum, omnium mortalium illustrissimum principem, omni qua decet reverentia salvere jubet; tui amantissimus, tibi se totum præbet; tuam celsitudinem observat, veneratur; nihil magis cupit, nihil sibi jucundius, delectabilius nihil, quam de tua Francorumque regni audire salute. In hoc spem omnem, in hoc suam salutem reponit. Ipsius præclarissimi progenitores Scotorum reges, Francorum gentem sociam et amicam habere, haud parum ad suam gloriam atque splendorem attinere rati, cum Carolo, Francorum rege, illustrissimoque Romanorum imperatore, cui, ob res egregie gestas, Magno nomen est inditum, sanctissimum fœdus, certis legibus, nihilo minus pro Francorum quam Scotorum commodo, percussere. Mansit ictum fœdus sub Scotorum regibus in hæc usque secula, a Carolo Magno in tuum usque imperium, firmum atque inviolatum: fœdus, inquam, non modo diplomatibus, bullis, chartis, et sigillis (ut dicunt) sed utriusque populi, pro alterius salute, bellicis tumultibus multorum sanguine effuso firmatum. Quot ex bellica Francorum gente, cum, Scotorum amore, Anvicum, Anglorum arcem, loci natura fortem, hominum ingenio fortiorem factam, expugnatam cepere, captam mira servavere arte, Anglorum periere insidiis? Periissent omnes proculdubio, si non Douglasius comes citius occurrisset. Contra, quot, quæso, Scotorum nobiles recenti clade, ne vetera connumerem, ad Ver-

nolium, Cresciacum, et Blangium, pro Francorum salute et libertate, cum Anglis communibus hostibus decertantes fortiterque agentes occubuere? Cognosce idcirco, Lodovice, rex optime, quo animo Scoti in te tuamque hanc gentem semper fuere, qui, spretis Anglorum armis, marisque periculis posthabitis, huc ad tuum hoc regnum accessere; cum inimica gente conseruere manus in exitium usque, ut socium et amicum populum periculo (cui proximus erat) omni atque hostili metu liberarent. Adeo sacra fœderis jura semper coluere. Verum sancitum fœdus, tot regibus per tot secula excultum et conservatum, uti inclytus princeps noster accepit, nixi sunt impuri quidam (quantum per eos fieri potuit) violare, sinistra partim insinuatione, partim commentis fictis, frivolis quoque occasionibus adinventis, unde inter socios et amicos adeo populos dissidio pararent damnum utrisque perpetuum atque perniciosum, communibus vero hostibus commodum et delectamentum. Ægre fert quæ feruntur, et ut suos primorumque sui regni animos in hac re dignoscas, quantumque Francorum salus omnibus sit curæ, hunc reverendum patrem, Dunkeldensem episcopum inclytum, hunc Buquhaniæ comitem, suum avunculum, consultum hunc jurisperitum, sui regni (ut nostris utar vocabulis) justitiarium, et me, tanta legatione indignum, ad tuam legavit celsitudinem, qui te certum faceremus, si quid in hac re (quod veteri amicitiæ dissonat) tibi suo nomine relatum fuerit, injussu suo relatum; fœdus, si in aliquo labefactatum sit, repararemus, novis si opus fuerit firmaremus legibus, omnem vel mali suspicionem in hac re tolleremus; adversum hostes quos jamjam hoc tuum regnum invasuros audierat, tibi sponderemus

suppetias ; sese quoque in tuos hostes sumpturum arma, atque delecta cum militum manu, modo id concupiveris, in tuum venturum auxilium. Is animus nostro regi in te tuumque regnum (Christianissime princeps) hoc desiderium : nihil utile sibi putat, delectabile nihil, nihil honestum, quod Francorum reipublicæ inutile; sine enim Francorum felicitate sese fore censet infelicem. Tantum regem amicum habere gaudet, gloriatur ; te, inquam, Francorum rex invictissime, qui inter mortales principes solus liquore sacraris cælesti, solus, Dei sine controversia dono peculiari, branchum fœdum atque perniciosum morbum solo manus curas attactu, solus uteris liliis cælesti munere insigni. Oramus propterea, precamur, obsecramus, parem principi nostro redde animi benevolentiam. Pene adhuc puer montanos, gentem ferocem, intestina semper gaudentem seditione, domuit; totum regnum tranquilla stabilivit pace; nusquam imminent pericula, nusquam hostium timor. Adesse jam novit tempus quando tibi gratum et amicum sese potest præstare. Amicitiam sanctaque fœdera colito, contestatis cæli numinibus inita, tot utriusque populi nobilium sanguine comprobata. Amato amicum populum tibi fidissimum, ut mutua permaneat semper inter eos, atque inter reges, grata benevolentia. Eo namque pacto perpetua prosperitate gaudebis, Francorum custodies imperium, conservabis, tueberis, securus et omnino hostili metu levatus. Cætera nostri principis postulata his ex magnificis viris et oratoribus, quibus secretiora credidit consilia, ubi libuerit, accipies.

Hæc ubi perorata, rex oratores familiarius complexus, ubi multa super carissimi sui fratris Jacobi Tertii (sic namque eum appel-

litabat) Scotorumque regni salute rogasset cognovissetque, eis referentibus, Jacobum incolumem, regnum ei feliciter stabilitum, gavisus plurimum atque gratulatus, concionem solvit. Ipsos oratores, in regiam inductos, affectosque vario honoris genere, regalibus admovit conviviis. Postridie Francorum patrum publico decreto, legatis ex sententia responsum : magnis inde regia pro dignitate donati muneribus dimissi a Lodovico, in patriam aliquot post menses sunt reversi. Defunctus hoc pacto legatione, Wilhelmus, ob res feliciter gestas, regi carior factus, haud multo post tempore Rossensis, ipse recusans, declaratur episcopus. Cumque ab amicis increparetur quod episcopalem recusasset dignitatem, Non (inquit) Rossiæ sedes nobis futura, sed ubi Dei genetrix patrona deave tutelaris ; ad id quod puer per quietem viderat alludens. Adhibitus est exinde regis secretioribus consiliis, creditumque ei adeo ut ejus auspiciis atque sententia pene omnia regni magis ardua negotia tractarentur. Cumque his rebus redderetur familiarior regi, suasit libidine abstineret et avaritia, quibus nulla capitalior pestis regibus data ; raptorum grassantium per agros depopulatorumque arceret vim (his enim tum bellici tumultus reliquiis regio exundabat, maximo omnium incommodo) ; satis ad regium splendorem conducere quod Margaritam, castissimam fœminam, regibus prognatam, fœcundam prole (tres enim filios ex ea susceperat) rex pro genialis thori consorte haberet. Barones vero (sic primi nominis auratos vocamus equites) fortunis opulentos, qui domi et militiæ reipublicæ negotiis possent suffragari, proinde plebeios omni ab injuria tutaretur, pius in deum viveret, clementiæ semper

memor, qua nullus magis regi convenit affectus. Movere regi animum frequentes Wilhelmi et tempestivæ adhortationes ad meliora, ut deinde majori quam anteacto tempore studuerit pietati, Deum et sanctos ita veneratus, ut quoties Christi Deiparæve virginis effigiem in templo, in foro, in plateis, dum aliquo proficisceretur, fuisset conspicatus, nudo capite cum lachrymis plerumque pro sua suique regni salute preces supplex effunderet; multa tribueret in pauperum usum et Christi sacerdotum, neque aliquod templum, sacellumve celebre suo in regno noverat, quod non aliquo regio dono suæ pietatis insigni fuerat decoratum. Sub id tempus episcopus Imolensis, summi pontificis legatus, ad Jacobum regem venit erogandorum complurium privilegiorum nobilibus et popularibus (ut fit) magna cum potestate. Hunc rex sua pro dignitate acceptum regalibus donis ornavit, et secum duxit quocunque perrexit, peregrinis confabulationibus delectatus. Evenit ut rex Lestauream religionis causa petens, nobilem quendam cædis crimine damnatum obviam haberet euntem ad supplicium, qui, conspecto principe, ad ejus pedes provolutus, tensis in eum manibus quantum patiebantur vincula, multis lachrymis abs se supplicium deprecabatur, obsecrans memor esset clementiæ in qua sontes in manifesto etiam crimine ante supplicium, imo in ipso supplicio, non possent non aliquid sperare, ne ob involuntariam cædem tam fœdum populo præberetur spectaculum. Tum rex (ut ingenio facili erat ad ignoscendum) ad legatum conversus, quem (ut videbatur) ea in re veniæ voluit auctorem, Quid mihi (inquit) suades? Fiat (inquit legatus) justitia. Tum rex ad Wilhelmum, quem vultu jam concidisse perspexerat, et ob hoc legati responsum parum

probasse, Hæccine (inquit) est Italorum sacerdotum misericordia? longe aliter mihi suadere consueveras: adversusque legati immanitatem detestatus, haud immemor quantum clementia reges deceat, Fiat, inquiens, misericordia, sontem crimine absolvit, simul ostendens et principes oportere esse clementes, et impium eis misericordiam dissuadere. Augebatur indies continuata regis erga Wilhelmum benevolentia, adeo ut, quoties in regno magnum aliquid agendum erat, unus eligebatur qui præesset: tanta erat in homine morum decentia, tanta dexteritas ingenii.

Jacta erant tum seminaria futuri belli, periculosi admodum, inter Eduardum Anglorum regem et Jacobum Tertium. Huic vulneri apparenti tam sævo objicitur Wilhelmus; qui missus legatus ad Eduardum, mandata regia sic exposuit oratione gravi et eleganti, ut duorum principum animi hac una legatione, opera Wilhelmi, ita in unam sententiam coierint, ut inter eos perpetua pax (uti videbatur) fuisset firmata, nisi intestino bello inter Alexandrum Albaniæ ducem et regem eo temporis suborto, fugientem Alexandrum Eduardus hospitaliter recepisset, juvissetque copiis et impensis contra fratrem. Quamobrem haud multo post tempore inter populos indictum est bellum. Formidare cœperat noster princeps non tam Anglorum vim quam suorum, quod ducis Alexandri partibus primorum nonnulli plus æquo favere videbantur. Post varia rerum discrimina, ad apparens periculum effugiendum, ut huic bello finis imponeretur, Wilhelmus omnium consensu objectatur. Functus est ergo secunda legatione ad Eduardum pro pace regnorum, pro ducis Alexandri reconciliatione: ad quem secundo

cum venisset, benigne auditus, res ex desiderio composuit; sicque magnis muneribus donatus, et ducem reconciliavit regi, et omnia pacis plena effecit. Quod ob meritum, primo suo adventu ad regem, Aberdonensis episcopus est designatus; et deinde aliquot post annos magnus vocatus cancellarius. Incidit in hoc tempus, vel non multo post, execrandum bellum inter regem ejusque primogenitum Jacobum, qui postea Quartus est appellatus, quod cum pacare nequiret, licet nihil reliquerit intentatum quod in pace conficienda ad virum bonum atque prudentem attinere diceres, regis partibus ad belli exitum usque adhæsit. Finito 'infeliciter' satis hoc bello, Aberdoniam revisit: clerum melioribus institutis format: divina nonnullos annos paulum neglecta, temporis iniquitate, restituit. Prisco atque patrum more cantu ubilibet celebrare jubet. Ad sacra rite exequenda in basilica Aberdonensi, creat designatorem Joannem Malisonum, musica disciplina eruditum, moribus probatum, penes quem (quos scribi et concinnari fecerat) libri forent rituales. Huic viro debent Aberdonenses, musicam præsertim edocti, quam parenti filii caritatem: quicquid illic musices, quicquid exactæ in Dei ecclesia boreali jubilationis, hujus viro justissime debetur operæ; rarus enim conspicitur Aberdoniæ cantandi artem excellenter doctus, qui eo non fuerit usus præceptore. Multa alia jam tunc Wilhelmus laude digna acturus erat, sed ad curiam revocatus, ac Jacobo Quarto designatus consiliarius, benevolentia regi acceptus, veneratione habitus quali ante a patre, inceptum in opportunius tempus distulit. Restabant reliquiæ quædam veteris discordiæ inter regni primores,.quæ nisi sopirentur, majoris dissidii incendium videbantur

facturæ. Has omnes Wilhelmus (magno labore) submovit penitus atque extinxit, amotis intestinis simultatibus simul atque seditionum seminariis.

Rex Jacobus, quum nec domi nec foris hostem haberet, ad ea quæ ad publici commodi utilitatem et decus spectabant, Wilhelmi præcipue suasu, adjecit animum. Judicandi rationem aliquot annos, temporis iniquitate, omissam (justitiarii iter vocant) restituit, ut raptores, spoliatores, homicidæ, stupratores matronarum virginumve, agrorum depopulatores, cæterique perturbatores populi et publicæ quietis, judicum auctoritate, qui ob hoc ejus jussu regnum lustrabant, dignis suppliciis afficerentur. Denique ubi omnia pacata videbantur, factionibus aut cohibitis aut penitus semotis, facto senatu parliamenteo Edinburgi, communi omnium sensu legatio decreta ad Maximilianum Cæsarem, quæ ejus filiam Margaritam deposceret. Cupiebat vehementer adolescens rex virginem eam uxorem, auctum iri existimans regiam gloriam, si Cæsarei sanguinis ornamento honestaretur. In consultationem deducitur, quem potissimum judicarent mittendum legatum. Suffragia omnia in Wilhelmum recidunt. Profectus ergo Wilhelmus, simul atque alii quidam ex regni majoribus (quibus cum Wilhelmo negotium erat commissum) ad Maximilianum imperatorem, rem perfecisset (quanquam ardua erat atque difficilis) ni pater virginem Margaritam Hispaniarum principi prius desponsasset. Et ne nihil egisse videretur, longam litem inter Colonienses nostrosque prudenti consilio atque opera ita diremit, ut veteris discordiæ ne vestigium quidem superfuerit. Sub id tempus Eduardus, olim illustris Anglorum regis Eduardi filius

(ut ferebatur) in Scotiam e Flandria multis copiis trajecit, terrestri inde itinere, Jacobo suppetias ferente, Angliam petiturus, ad paternum regnum ab Henrico (is tum Anglorum rem tenebat) repetendum. Jacobus non prius adventantem recepit in regnum quam Henricus Scotorum feciales, publico consilio, ablatas res atque injuriarum reparationem ex fœdere reposcentes, plane fuerat aspernatus. Id belli inter populos posterius gesti causa extiterat. Henricus bellum jam tunc necessarium sentiens, ut providenti semper erat ingenio, sexaginta celoces et quadraginta onerarias naves, multo milite omnique bellico apparatu, in Fortheum (æstuario nomen est) mittit, quæ Scotorum oras lustrarent, ut Scoti, Anglicarum copiarum exponendarum prohibitioni intenti, coacto exercitu in Angliam proficisci facile non possent: ipse Londini cum regni majoribus se continuit, periculosum censens bellum potius prudentia quam armis gerendum, haudque ignorans quo animo Anglorum complures essent in Eduardum, quam novarum rerum appetentes, quam facilibus ingeniis ad motum. Huic bello, dubii (ut videbatur) exitus, posteaquam uterque populus multa incommoda, et terrestribus et maritimis pugnis fuerat expertus, ut finem imponerent, reparandarum injuriarum modum simul et pacis conditiones dicerent, nonnulli arbitri delecti ex Anglis, nonnulli ex nostris, quorum præcipuus Wilhelmus. Hi, Melrosiæ concione facta, ubi varie consultatum fuerat, variatumque plurimum sententiis, videbaturque res infecta relinquenda, ad Wilhelmum itum, hunc respiciunt universi, eum unum dicunt, qui litem posset componere, et utramque gentem alteri efficere concordem; et mox, ut liberalem hominis vultum con-

spexere, hortantis, monentis, precantis, omnem deposuere pertinaciam, rem in ejus detulere arbitrium. Facta inde ejus opera pace certis legibus inter populos, Jacobus, Wilhelmi consilio, primum insulanorum montanorumque motus compescuit (solet hæc gens, nisi regia cohibeatur auctoritate, semper intestina seditione laborare) deinde ad politiam urbanos civilesque mores monitis et exemplis omnes incitavit. Ampla ædificavit palatia Stryvilingi, Edinburgi, Falcolandiæ, ornavitque ea multa et pretiosa supellectili. Multi, regis exemplum secuti, sese in ejus mores formarunt. Populares a magnatum tutabatur injuria; magnates, partim clementia et liberalitate, partim pœnarum metu et auctoritate, concordi pace continuit. Ergo quod pax regno reddita, insulani domiti, magnates effecti concordes, undequaque plebeii injuriarum metu levati, Wilhelmi magna ex parte fuit opus, Wilhelmoque tribuendum, qui nec publicus nec privatus sibi vixit unquam, sed patriæ publicoque commodo, non maris non terræ pericula exhorrens, non corporis parcens imbecillitati, non ætati; illud enim ei fuit peculiare ut gerendis rebus industria studium, et studio industriam superaret, quippe qui quæ posterius egerat semper visus est egisse diligentius. Tantæ propterea auctoritatis apud Jacobum Quartum (uti est significatum) ut quoties illi quicquid agendum cum suis, quoties cum externis, quoties aut fœdus feriendum cum regibus, aut pax ineunda cum provinciis et civitatibus, semper hæc Wilhelmo erant commissa; nihil gessit, nihil in consultationem deduxit Jacobus Quartus, quod non Wilhelmi consilio gestum fuerat et deliberatum. Carus idcirco et venerabilis plebeiis Wilhelmus, carus magnatibus, omnibusque

gratus. Neque hæc diu continuata cum omnibus gratia, rei cuiquam præterquam admirandæ virtuti jure tribuenda. Mendicatus enim favor unius hominis improbitati junctus esse potest; constans vero et perseverans benevolentia cum multis (qualis erat Wilhelmi) nec paratur sine excellenti virtute, nec parta conservatur. Mox, ut omnia erant tranquilla, sedatis bellis et intestinis et exteris, Wilhelmus ad patriæ ornamentum est conversus. Scotorum enim regnum in tres partes scinditur: harum septentrionariam, ut commodum patriæ afferret atque decus, sumpsit decorandam; Aberdoniæ studiorum bonorum gymnasium condidit generale, ubi omni genere disciplinæ eruditi profiterentur. Jampridem in reliquis partibus scholæ fuerant institutæ universales; altera Glasguensis, Wilhelmo Dursdeir episcopo auctore; altera, literis et eruditione percelebris, Sancti Andreæ, Henrici Wardlaw, loci antistitis, opera et impensis: ubi viros præcipua doctrina vidimus insignes, Robertum Kethum, Joannem Liestonum, Hugonem Spensum, Andream Rusalium, Thomam Ramusium, Alanum Meldrum, sacrarum literarum professores, eruditos admodum, Wilhelmum Gundum, Joannem Annandiæ, viros spectatæ doctrinæ, qui, tametsi hactenus magisterii in theologicis renuerunt fastigium, de se modestius sentientes, doctoribus tamen eos nemo dixerit eruditione inferiores. Vidimus innumeros quoque alios, sacram theologiam, veneranda jura, aut philosophiam profitentes. Horum aliqui sæcularis (ut dicunt) instituti: alii divi Augustini, Benedicti, Francisci, Dominicive ordinis viri. Prodiere hoc ex gymnasio, posteaquam habuit initium, insigni doctrina viri complures, qui eruditione et morum probitate Scoto-

rum ecclesiæ haud parvum attulere splendorem. Tria in eo collegia. Primum, quod Pædagogium vocant, amœnissimo civitatis loco situm, multis viris probis atque literatis qui ex eo prodiere insigne; alterum Sancti Salvatoris, venerabili templo pulchrum, amplisque et spectabilibus ædibus ad studiorum usum. Hoc Jacobus Kennedus, Sancti Andreæ olim antistes, de literis literarumque excultoribus optime meritus, condidit, amplisque donavit prædiis et redditibus ad legentium et auditorum sumptus; multis item vasis ad usum in sacris, calicibus, urceis, phialis, pateris, pelvibus, cantharis ad lavacrum, candelabris, Salvatoris effigie duos prope cubitos longa, thuribulis, acerris, crucibus, aliis quoque vasis ex argento auroque fabrefactis, sacerdotum stolis, cappis, Dalmaticis, tunicis, casulis (ut dicunt) ex auro argentoque textili, villosa bysso, palmata, undulata, campanis tintinnabulisve multis dulce sonantibus ut harmoniam plane facere videantur, aulæis byssinis, tapetibus, ad templi publicarum quoque ædium ornatum: et, ut rem tantam in arctum conferamus, nihil intus nihil extra quod magnum sumptum et apparatum, conditoris pro dignitate, animi quoque magnificentiam, non ostendat. Addidit tertium collegium Joannes Hepburnus, adhuc superstes, celebratissimæ abbatiæ divi Andreæ prior ac moderator, jam frequens variis in disciplinis profitentibus et auditoribus. Is Joannes, ubi abbatiam viris religiosis, musica (qua semper ibi excellentes et clari fuere) omnique genere disciplinæ pollentibus, incredibili cultu, et templo, et ædibus, multisque novis structuris ornaverat, ut rei literariæ consuleret, collegium (Sancti Leonardi vocant) instituit, sumptu ad magistros et scholasticos ex comparatis prædiis tributo.

Splendidæ quædam ædes ibi consummatæ, aliæ ædificari cœptæ. Reliqua hujus viri gesta, quanquam sunt amplissima, constantique omnium prædicatione celebrata, tacere tamen modestissimum censeo, quod magnatum laudes (dum superstites sunt) raro, multorum sententia, sine assentationis labe prodantur. Sed sperandum est eum, qui suos majores longissime superavit, inceptum hoc opus non uno magnificentiæ genere consummaturum. Huic collegio in re literaria Joannes Annandiæ (cujus haud multo ante meminimus) exordium dedit, vir acri semper ingenio, doctrina plurimum valens, cujus virtus ad posteros veniet, ut debitam tum laudem consequatur. Ad Wilhelmum revertor. Is (uti est significatum) Aberdonensis scholæ generalis auctor ac institutor, qui ejus fundamenta jacerem, primusque in ea liberales profiterer artes, me (licet minus aptum ad tantum munus exequendum) delegit, muneribus et pollicitationibus ad se allexit, qui tum Parisiis in religioso et venerabili Collegio Montisacuti philosophiam utcunque enarrabam, ubi Joannes Standonc, virtutum omnium exemplar, præcipuum egit magistratum, bonis valens exemplis ad homines probatis moribus et disciplinis imbuendos, quantum reliqui sua ætate Parisienses præceptis : hunc virum gloriantur plerique sese vidisse. Multi tum eo in collegio erant viri exquisita eruditione, quorum præcipui Petrus Syrus, theologus, Petrus Rolandus, quo præceptore usus sum in dialecticis, Joannes Gasserus ; extant viri doctissimi in decreta patrum commentarii ; Erasmus Roterodamus, nostræ ætatis splendor et ornamentum ; nullus pene locus est in Europa adeo inaccessus, ubi non ejus viri decora : ex nostris contribulibus, Patricius Panetarius,

non tam ob doctrinam quam prudentiam laudatus undequaque, postea Jacobo Quarto consiliarius atque a secretis designatus; Gualterus Ogilvius, singulari exundans eloquentia, adeo ut hominem verborum copia, sermonis venustate, ubertate sententiarum, non modo delectare, sed (ut ita dicam) lascivire et luxuriare diceres; Georgius Dundas, Græcas atque Latinas literas apprime doctus, equitum Hierosolymitanorum intra Scotorum regnum magistratum multo sudore (superatis æmulis) postea adeptus; Joannes Major, theologus eruditissimus, cujus scripta, haud aliter quam illuminatissimæ faces, magnum Christianæ religioni attulere fulgorem. Hos viros venerabor, excolam, horum doctrinam mirabor: hoc mihi solum relictum, hoc solum obtinui, qui, ignarus, et omnis pene disciplinæ expers, dolore conficior, quod tot doctos præceptores de me optime meritos, simul atque Parisiensem scholam, disciplinarum meliorum omnium parentem, adolescens vix primis literarum rudimentis imbutus reliquerim, accitus ad Wilhelmum (veluti haud multo ante significavimus) ut adolescentes literarum amantes (mea pro exiguitate) bonis artibus instituerem. Venientem canonici benevolo affectu excepere. Fuere nonnulli horum doctrina insigni: David Guthræus, Cæsarei atque pontificii juris professór; Jacobus Ogilvius, theologus doctor, olim, ob spectatam doctrinam atque virtutem, Sancti Andreæ archiepiscopus in sacra Basiliensi generali synodo designatus; hi natalibus et familiæ nobilitate clarissimi, animi dotibus supra communem hominum facultatem excellentes, eloquentia, qua plurimum potuerunt, profitendo, concionando, dicendo causas, audientium animos in sui admirationem vehementer trahe-

bant; alter sacrarum literarum enarrationi, alter pontificii juris frequentibus auditoribus, insudabat; Thomas Straquhyn, Alexander Vascus, qui primus Aberdoniæ scholarem egit præfecturam, uterque pontificio jure admodum eruditus; Jacobus Brunus, Aberdonensis decanus, sacris literis edoctus; atque alii complures et humanis et divinis literis pollentes. Aberdoniæ itaque sedere ubi cœperam, ut commodius adolescentes disciplinis formarentur, Wilhelmum Hayum, quicum philosophiæ Parisiis operam dederam, accivi in socium laboris, ut primæva ætate inchoata benevolentia animorum, constantia nobis, qui Angusia communi provincia nati, Deidoni simul pueritiæ tempora peregimus, Parisiis eisdem sub præceptoribus utcunque instituti fuimus, ad exitum usque vitæ perseveraret. Is magna in me caritate ductus, uti necessarius mecum Aberdoniæ consedit. Literarium laborem animo subiit constanti, indies magis delectatus in adolescentibus erudiendis comes fidissimus. Exacta inde et perseveranti diligentia effectum est, ut brevi tempore præstanti disciplina viri ex Aberdonensi universali academia prodirent, in divinis literis et utroque jure multi, permulti in philosophia. Alexander Hayus, acri præditus ingenio, præstanti virtute et disciplina, nunc Aberdonensis canonicus, primus ex iis qui ex Aberdonensi gymnasio processere, qui alios bonas artes docuerit, quique ibidem scholasticum primarium egerit magistratum. Jacobus Ogilvius, nobili et opulenti ex familia, juris Cæsarei professor, post Wilhelmi exitum ad sacrum Aberdonensem pontificatum designatus: quo tandem, ut ortum inter regni primores dissidium tolleretur, sese amicorum suasu abdicavit, rectoriam Kynkeldensem simul atque

abbatiam Dryburgensem commendatione adeptus. Functus est is multis legationibus, regum jussu atque Scotorum magistratuum, ad varios principes, varia regna, variasque civitates, quibus insigne nomen est adeptus. Henricus Spitalius, haud vulgaris doctrinæ: is adolescentes, priusquam altiores peteret disciplinas, quosdam exacta diligentia nobiscum in philosophia erudivit, Wilhelmi nostri cognatus, et ob hoc multo nobis carior. Arthurus Boetius, mihi germanus, in pontificio jure doctor, in civico (ut dicunt) licentiatus, vir multæ doctrinæ, plus literarum indies consecuturus, quod studium ei permanet animo indefesso, nobiscum jura pie et scite profitetur. Est in eo vis et gravitas eloquendi, a vulgari genere plurimum abhorrens. Alexander Gallovidianus, in canonico jure eruditus, nunc Kynkeldensis rector, aliquot annos ante Wilhelmi nostri exitum tanti apud eum habitus, ut pene nulla pontificii negotia illius sine ductu agerentur. Joannes Lyndesayus et Alexander Laurentius, inter clarissimos jurisperitos jure numerandi: quorum Joannes se qualis futurus erat præstare non potuit, florente ætate fato absumptus; Alexander, spretis vanis (ne dicam insanis) mundi gaudiis, paucos abhinc dies sacrum prædicatorum ordinem ingressus, pio eorum instituto perpetuo sese addixit. David Menzes, sacrarum literarum cultor, concionibus plurimum valens; in quo viro non tam eruditio, quam virtus morumque gravitas omnibus est perspecta. Joannes Grysonius, Robertus Insulanus, et Alexander Aulicus, prædicatorii instituti viri, theologi spectabiles scientia et pietate. Joannes Adamus, sacræ theologiæ professor, pietate insigni atque eruditione; primus qui Aberdoniæ magisterii fastigium ea in facultate est adep-

tus ; nunc prædicatorum fratrum intra Scotorum regnum summum (quem provincialatum dicunt) agit magistratum : is pio et religioso animo exempli locum meretur inter primos sui instituti. Indigne siquidem ferens sacram prædicatorum religionem neglectam inter nostros adeo ut pene contemptui daretur, non maris pericula horrens, non æmulorum sævitiam, minas, injurias, non laboribus, non corpori parcens, duram admodum subiens provinciam ut labefactata repararetur, magnis et incredibilibus obtinuit laboribus ; effectumque ut nunc eruditi, pii, et religiosi, qui sacras literas enarrant, profitentur, concionantur, illius instituti viri frequentes inter nos reperiantur : quæ omnia Joannis piis sudoribus ulla sine controversia accepta sunt ferenda. Ad hæc Wilhelmi auctoritas, qui et domi et foris plurimum potuit, haud parum conduxit. Hos nominavimus ut præcipuos qui Aberdonensi e schola prodiere. Alios haud ignorans transeo ; plures enim sunt quam hic locus, ut enarrentur, exposcit ; et ad institutum redeo. Wilhelmus initiis Aberdonensis studii delectatus, quo res firmius stabiliretur, collegium condidit, opus ædificiorum ornatu et amplitudine magnificum et dignum quod fama semper loquatur. In eo templum, tabulatum polito quadratoque lapide, vitrinis, cælaturis, sellis ad sacerdotum, subselliis ad puerorum usum, mira arte fabricatis, marmoreis altaribus et imaginibus divorum, tabulis et statuaria et pictoria arte auratis, cathedris æneis, aulæis, tapetibus, quibus parietes atque pavimentum (ut omnia honoratiora apparerent) sternerentur, aliaque multa pretiosa supellectili magnifice decoratum. Templi ornatus, quorum usus in sacris, ex auro textili, quindecim vestes sacræ quas cappas,

casulas, tunicas vocant; ex villosa bysso, octo supra viginti. His omnibus laterales fibræ, aureis staminibus, quibus divorum effigies intextæ filis byssinis, coccineis, purpureis, hyacinthinis, auro commixtis. Septem ex bysso palmata; his laterales fimbriæ byssinis staminibus, stellis aureis consitis. Ex bysso palmata atque undulata viginti, ad puerorum usum in sacris supplicationibus, ut splendidiores ad Dei laudem sint deductiones. Præter hæc, ad quotidianum usum, complures vestes sacræ ex cocco byssoque undulata. Crux Christi, cum crucifixi simulacro, candelabra duo, totidem thuribula, quibus thus adoletur, acerra, sex phyalæ, calices octo, textuarium, vasa duo (eucharistias nostri vocant) quibus, adorationis causa a populo, Christi corpus deportandum; alterum duos cubitos altum, incredibili confectum arte. Pelvis, cantharus ad lavacrum, vas ad benedictam aquam circumvehendam cum aspersorio, omnia ex auro argentoque fabrefacta. Sindones nonnullæ byssinæ, aureis filis varie contextæ, nonnullæ subtilissimo ex candenti lino: quibus intexti flores vario colore ex bysso. His sacrorum tempore sternuntur altaria. Arca ex cupresso, margaritis et gemmis consita, mira concinnata arte, qua venerabiles sanctorum reliquiæ, auro argentoque insertæ, venerationis causa conservantur. Habet campanile, immensa altitudine sublatum, cui lapideus arcus instar imperialis diadematis, mira arte fabrefactus, plumbeam supra tecturam adhibetur, tredecim campanas, melodiam et piam audientibus voluptatem sonantes. Hæc omnia Wilhelmi donaria. Et ut religioni simul atque doctrinæ eo in collegio opera impendatur, instituti ad divina quotidie exequenda sacerdotes octo, et, quos de secunda forma

vocant, pueri septem: qui altiores disciplinas profiterentur, quatuor doctores; primus theologus, cui, Wilhelmi edicto, cæteri omnes essent audientes; in pontificio jure secundus; tertius in Cæsareo; medicus quartus: baccalaurei (ut dicunt) decem, qui et doctores audirent et erudirent alios; horum præcipuus subprincipalis, cui secundum principalem summa est in collegio permissa potestas: quatuordecim adolescentes, pollentes ingenio, qui philosophiæ insudarent: in humanis literis præceptor eruditus, ut ejus opera adolescentes, priusquam philosophiam adirent, grammatica imbuantur; hoc literarium munus Joannes Vascus, Aberdonensis gymnasii alumnus, nunc exequitur, in hoc genere disciplinæ admodum eruditus, sermone elegans, sententiis venustus, labore invictus. Hi ut omnes sacris exequendis intersint dum publico literario labore abstinetur, Wilhelmi est mandatum. Ædes singulæ condi inceptæ, canonici juris professori, Cæsarei, medico, grammatico, a collegio secretæ. Has Wilhelmus non absolvit, morte correptus intempestiva. Collegii templum, turres, et ædes pene omnes, tecto plumbeo operuit. Sumptus quibus omnes honeste vitam sustentarent, ex prædiis, agris, et ecclesiasticis redditibus, magnis Wilhelmi impensis et opera partis, proveniunt. Nec quibus significavimus operibus laboribusque lassus, nec quotidianis occupationibus, contentionibus, decretis, consultationibus, quas pro publico commodo obibat, sed tanquam centimanus (ut poetica est fictio) in omnem partem sese convertens, multis et diversis locis præclara facinora obibat. Templum, ubi primaria Aberdonensis sedes, veluti ad ejus unius decoramentum Dei benignitate fuisset delectus antistes, multis donariis

ornavit, sacris vestibus ex auro textili et candenti bysso (cappas dicunt) duabus tiaris (mitris vulgatiori vocabulo) ad pontificis usum in sacris; altera textili auro, altera palmata bysso, candenti margaritis, et gemmis consita. Tertiæ tiaræ, quæ multos abhinc annos, operis et materiæ excellentia, magno fuerat in pretio, gemmas complures generum diversorum addidit, auro atque argento consertas. Turrim maximam, quam Henricus (ut alio loco est significatum) reliquit imperfectam, consummavit; quam, simul cum toto templo, plumbo operuit: in ea turri campanæ tres, duodecim millium pondo, Wilhelmi opera et impensis comparatæ. Opus inde non minimum est aggressus, chori basilicæ Aberdonensis conditionem. Est is chorus quem a Roberto rege ædificatum, alio loco memoriæ dedimus, haud tali decore et magnitudine qualem tanta exposcit ecclesia; propterea honesto et immortalitati consulens, qui amplitudine atque præstantia templum suis ab antecessoribus conditum æquaret, chorum cœpit ædificare. Sed ne ipso fortassis soluto, opus differretur ad finem usque produci, haud prius vetus ædificium placuit demoliri, quam præparata forent, quæ ad novi operis attinerent perfectionem. Calcis idcirco maximos acervos, lapides quamplurimos, et apparatum multum gnaviter aggregavit; latomos, fabros, cæmentarios peritos delegit, ad fabricam est hortatus. Unde haud exigua chori pars, priusquam vita excederet, est ædificata. Eo fere temporis Eduardus Orchadensis episcopus, qui tum Aberdoniæ disciplinarum excolendarum causa agebat, collegii templi (cujus paulo ante est memoratum) multis et piis precationibus (ut fieri solet) dedicationem solenni peregit apparatu; vir, ob doctrinam et vitæ integritatem, ad summos

provectus honores, literatorum amator atque excultor. Id enim sua in literarum Aberdoniæ studiosos continuata benevolentia aperte demonstrat. Postremo Wilhelmus noster Deyæ fluminis pontem assumpsit condendum; opus pium et ad publicum commodum plurimum necessarium. Brevi lapides plurimos et tigna comparavit atque cæmentum quantum ad magnam operis partem absolvendam sufficere videbatur, delectis artificibus ad molis fabricam accitis. Scotorum historias de gentis antiquitatibus, præsertim apud Hybrides insulas, ubi quondam regum sepulchra nostræque gentis prisca servabantur monumenta, magna diligentia atque labore est scrutatus: in unum coarctavit volumen quas invenit. Enimvero perierant ferme omnia quæ de Scotorum gestis literis fuerant mandata, Anglorum insidiis, quum nostram regionem intestina seditione laborantem fœde populabantur. Scoticum enim nomen adeo illis erat invisum, ut non modo gentem, sed et gentis ob res egregie gestas memorabilem gloriam, penitus delere semper animo habuerint. Wilhelmi scripta in re Scotica, quam literis utcunque mandare incepimus, maxime insequimur. Quisquis ea viderit, intelliget nostris scriptores defuisse, aut qui scripserint fuisse negligentiores; qui vero egregie egerint, nunquam. Sanctorum gesta, quibus plurimum apud nos parochiales (ut ita dicam) ecclesiæ dicantur, multis locis quæsita, in unum collegit opus, diutius quam par erat neglectum; quæ ut quotannis sanctorum solennibus sacris recitarentur obtinuit. Nam Angli quo tempore majorem nostræ regionis partem occuparunt, sanctorum gesta (qui apud nos claruere) data memoriæ, libros et historiarum, et quorum in sacris erat usus, cremarunt omnes, illorum loco suis

ritualibus sacrorumque codicibus adhibitis, ut nihil non Anglicanum inter nostros laude dignum deinceps inveniretur.

Præter hæc opera civilia et religiosa, Wilhelmus familiam, unde ei origo, plurimum auxit et ornavit; multis qui Elphinstonæ erant gentis, aut prædiis amplis aut sacerdotiis ecclesiasticis donatis, compluresque, ob expertam fidem, ingenium, aliasque præstantes animi dotes, quibus in publicis et privatis negotiis familiarius utebatur, ab exili ad opulentam fortunam provexit; monens frequentius ut fortunam reverenter haberent, memores unde progressi essent; fore ut ipso defuncto non jam maternas plumas et patrias delicias, sed asperiora longe experirentur, quantumcunque ejus causa benevolentiæ apud omnes fuissent consecuti. Prædicatores fratres, Minores, Carmelitas, cæterosque pios religionis observationi deditos, impensis juvit, ad vitam alendam et ædes condendas. Hæc ferme Wilhelmi opera perpetuo habenda memoria. Inter quæ, cum prope infinitis opprimeretur curis, nunquam tamen ab re divina animum avertit; neque juvenis neque senex, publicus aut privatus, sese abdicavit literis. Senex, ubi dabatur otium, sacræ scripturæ voluminibus, monumentis prophetarum, apostolorum, interpretum sacrorum doctorum, nonnunquam philosophorum, quæ ad beatam præsertim conducunt vitam, admodum delectabatur. Interea summo otio, summa versabatur tranquillitate solus, ubi nihil ei non voluptatis plenum. Eo in otio et solitudine, secum nonnunquam loquebatur, secum discutiebat de moribus, de vita, de honeste vivendi præceptis : hoc otium, hæc Wilhelmi solitudo. Splendidissimus fuit in familiæ victu : vix unquam cœnabat si non multis magnatibus sociatus, semper opipare :

mediis ipse deliciis abstemius, vultu hilaris, sermone jucundus, doctorum congressionibus, musicis, honestisque jocis gaudebat plurimum, omnemque detestabatur scurrilitatem. Inerat ei tanta ingenii atque animi vis, ut nihil ei quod ad rem publicam privatamve gerendam attinere diceres, defuerit: urbanas res religiosasque juxta callebat, accommodatum habens ad omnia ingenium. Nullus hoc toto tempore jurisdicundi peritior, nullus ad magna gerenda aptior: nam et eloquentia præstantes oratores æquavit, et nullus eo patriæ quieti, paci, decori magis meliusve consuluit. Ferrei prope visus est corporis, invictique animi in laborum tolerantia, quippe quem nullus labor, nulla exercitatio, nullum munus publicum privatumve, sed ne ipsa quidem senectus, communis et inevitabilis mortalium morbus, licet contuderit, effregit: ut qui, tertium supra octogesimum annum agens, in gravibus reipublicæ negotiis, cæteris acutius disserebat, nec ingenium nec sensum ullum adhuc habens obtusum; vivaci semper præditus memoria, utpote quam nulla unquam cepit oblivio. Senectus ei jucunda et veneranda, non morosa, non anxia, non difficilis, non tristis (ut plerisque) visa. Et, ut paucis multa constringam, nec in eo mores senectus mutaverat, qui semper fuere optimi, nec quicquid sensit, extremam ante ægritudinem, ob quod senectutem juste incusare posset.

Hoc temporis vel prope, Julius Secundus, pontifex maximus, Jacobum Quartum per legatos Christianæ religionis protectorem declaravit, missis ad eum legatis, qui galerum purpureum, aureis floribus varie contextum, ensem, aureo capulo, vagina aurea gemmis consita, pontificis nomine offerrent, gratularenturque plurimum, quod, cæteris

Christiani nominis principibus, bellis, seditionibus et externis et intestinis, laborantibus, solus ipse armis abstineret. Oppugnavere tum Gallica arma Italiæ urbes, quarum nonnullæ in Lodovici potestatem venerant, quædam vi expugnatæ, quædam ultro sese dedentes. Italiæ principes, ut bellum adeo periculosum a se averterent, Henricum Octavum, Anglorum regem, acrem adolescentem, flagrantemque cupidine gloriæ, sub specie Romanæ ecclesiæ tutandæ, ad arma contra Francos capienda stimulare, rati omnem belli vim eo pacto in Galliam ex Italia transferendam. Edicto haud multo post Henrici regis Anglorumque primatum, decreto Francis bello, Lodovicus legatos ad Jacobum Quartum mittit, oratum ut auxilium ad bellum jam imminens daret, contra Anglos, veterem atque communem hostem, caperet arma, vetusto ex fœdere, tot sæcula, utriusque populi opera et auctoritate, comprobato; ratus, ubi id fuisset assecutus, Henrici vim (quem ingenti cum exercitu in Galliam propediem trajecturum, habuerat pro comperto) facilius arcendam. Francorum legatos Jacobus venientes regali apparatu accepit, audivit benigne; facto inde primorum senatu, Lodovicique postulatis publice auditis, placuit quibusdam legatos mitti ad Henricum, qui ei denunciarent ut a Gallis sociis omnique illius gentis injuria abstineret; quod si consequi non possent, Anglis bellum indicerent ex fœdere: alii, quorum præcipuus Wilhelmus noster episcopus, belli incommoda aliquando experti, censuere non temere movendam rem tantam; opus in re adeo gravi haud properata consultatione, ne Henricus, rex adolescens, paternis opibus (quæ maximæ erant) exundans, et populis ad bellum propensis et quietis impatientibus imperitans, quibus longa jam

quiete auctæ essent florentes opes, animi feroces, novæque fortunæ permagna cupiditas, conceptam jampridem iram, omnemque belli apparatum quem in Francos paraverat, convertat in Scotos ; vim belli e Gallia, Scotis auctoribus, in sese minime transferendam, Scotorum agros populandos, corpora conficienda vulneribus, pro alienis, licet amicis et confœderatis, minime objicienda ; neque Gallorum tantum in Scotos meritum esse, neque eam Anglorum injuriam, ut pro Gallis cum Anglis, gente opibus et virtute bellica florente, in aciem descenderent ; legationem potius mittendam, quæ bellum adversus Gallos amicum populum, quantum fieri possit, dissuadeat ; Henrici responsum expectandum. Ad hanc vocem tantus tumultus fremitusque obortus inter eos, quibus, quod nunquam belli incommoda fuerant experti, intentatum bellum dulce videbatur, ut vix magistratuum auctoritate sedaretur. Jacta inde palam in Wilhelmum convicia, improperatumque quod, senex delirus, stolide et imprudenter contra publicum commodum, contra sanctum fœdus, antiquamque fidem, fuisset locutus. Prima igitur sententia, Wilhelmo cum procerum regni minori quidem sed meliori parte adversante, probata. Bellum inde per caduceatorem Anglis illico ubi in Galliam trajecerant indictum, infelicem paulo post exitum sortiturum. Quanta incommoda hoc bellum utrique populo attulerit, Scotorum historiæ, quam habemus in manibus, opportuno loco, nostro pro ingenio ostendemus. Sed hic terminis nostris minime egrediemur. Wilhelmus ubi funestam cladem, infelici cum Anglis congressu, nostros accepisse cognoverat, animi dolore consternatus, in eum morbum incidit, qui ad vitæ terminum ei perduravit. Nunquam post illam

ridere visus, nullis jocis delectatus, nullis, vel modestis, ridiculis usus. Haud multo post primorum concio Perthi est indicta, ut reipublicæ consuleretur. In ea Wilhelmus, et canonicorum et regni majorum auctoritate, Sancti Andreæ archiepiscopus designatus, renuit tantum fastigium constanter, Aberdonensi episcopatu contentus. Quum enim tanta magnifice adeo ageret, ut viri opera cunctis haberentur pro miraculo, nunquam tamen abbatiam aliamve ecclesiasticam præfecturam (ut nunc plerique) commendatione est adeptus. Aberdoniam se contulit, in pontis chorique conditione, quorum loco haud multum distanti mentionem fecimus, atque aliis piis operibus reliquum vitæ consumpturus. Cupiebat optimus pater (modo dedissent fata) Aberdoniæ, ubi primaria ei sedes, tranquilla quiete atque otio, quod multo meruerat labore, vitam sancte et composite finire. Sed revocatus ad regni primores, quod suborta inter eos dissidia absque ejus præsentia sedari non poterant, ab incepto destitit. Profectionem dissuadebant amici (jam enim ægrotare cœperat) verum illis respondit, se non solum sibi natum, sed et patriæ, plusque reipublicæ quam suæ debere saluti ; nec valetudine, nec quorumcunque suasu profectionem dilaturum. Profectus itaque valetudinarius, medio prope itinere invalescente febre Dunfermelingum divertit : ubi quum aliquot decubuisset dies, omne aurum et argentum, quicquid etiam supellectilis habebat, ad sui collegii Deyæque pontis consummationem, suis quoque amicis qui fortunis minus abundabant, distribuendum testamento legavit : habebat tum Wilhelmus auri argentique decem librarum millia in thesauro ; præter hæc multa ei admodum pretiosa supellex. Edinburgum inde con-

cessit. Sexto autem quam Edinburgum venerat die, febris cœpit ardere, ut nulla ei quies daretur: pertulit tamen dolorem eam noctem tacitus. Tum accersiti medici quod suæ erat artis, desperata salute, sunt executi. Sacellum ex more ingressus pridie quam vita excederet; ubi multa dixerat pie et docte de Christi religione, quam vera esset, quanta præmia proposita ejus observatoribus, quum sacra peragere volens confecto corpore nequivisset, sacrum Christi corpus afferri jussit, quod, humi prostratus, lachrymans, tensis in cælum manibus, reverenter accepit. Inde oratione ante Salvatoris imaginem crucifixi de more habita, in cubiculum ductus lectulo decubuit, dormivit paulum, ut somnus excluderet dolorem: vesperi cœnavit inter magnates quosdam (qui ad eum consolationis causa venerant); gravi hujus sermone tristem vultum notare omnes, malum in eo signum præsagientes. Sera nocte, ubi strato sese dederat, æstuante febre, dolor ei vehementius crevit, quem quantum fieri potuit dissimulavit. Mane ubi catarrhum sensisset in tracheam descendentem, cubicularium voce qua potuit evocat. Extemplo cucurrerunt amici, moribundo circumstare, alii flere, alii precari, hortari alii forti esset animo, ne sibi ipsi deesset, futurum brevi sospitem. Tum Wilhelmus, paulum oculos attollens et lachrymantes intuitus, Putabam vos (inquit) meliora suasuros; sanitatem spero immortalem: non me posthac caducorum cura sollicitabit. Vestrum erit ut proximo quisque opituletur; me jam certissima expectat mors: uti in hanc diem vixi, Christianus moriar. Interrogatus quo in loco sepeliretur, Animum, respondit, jampridem Deo devovi; corpus ubilibet sepelitote. Interrogatus anne quicquid absentibus amicis man-

dare vellet, Ut bene, inquit, sit eis : ego ad feliciora pergo. Et ubi ægra anima amplius demorari non potuit, Iesu Salvatoris nomine ejusque genetricis frequentius invocato, obticuit. Spiritum inde, non velut extrema patiens, sed arripiens quietem, hausit divinum : natum ad decus nostræ ætatis, Scotorum regni splendorem, et divini cultus augmentum; utpote qui, cum aut domi aut foris esset, quo ecclesia totius gubernationis sibi commissæ cultioribus ministeriis pie et religiose coleretur, multoque quam dudum exemplo vitæ sacerdotum illustrior redderetur, impensius curavit præstititque. Hujus felicis pontificis is erat exitus, posteaquam triginta annos sederat. Ejus corpus, exenteratum, conditum aromatibus, inde delatum Aberdoniam, non tam celebri pompa quam lugubri, in suo collegio ante præcipuum altare est humatum. Extitere tum prodigia aliquot. Foverni (vico nomen est decem millibus passuum ab Aberdonia) infans biceps atque bicorpor, duobus tamen cruribus, natus ; in eo alioqui nihil fœdum aspectu. Alius Aberdoniæ natus, qui maternis admotus uberibus nec ea unquam sugere voluit, nec matrem horribili sine clamore videre, cujusvis alterius feminæ mammas placide complexus. Et pinnæ, quæ motu ventorum indicant flatum, et ob hoc templorum pinnaculis adhibitæ, quæ Aberdoniæ fuere, aut ceciderunt aut effractæ sunt omnes. Quo etiam tempore Wilhelmi funus est elatum, pastoralis baculus, ex argento conflatus, quem Alexander Laurentius (ut in funebri fit pompa) gestabat, fractus est, incertum quo pacto, altera parte in fossam, ubi pontificis cadaver erat condendum, corruente. Allata est tum incerta vox, Et tecum, Wilhelme, mitra sepelienda.

Jam quæ Wilhelmi vita, et qualis ipse fuerit, et privatus et publicus, brevius quam res expostulet monstravimus, ut cum omnis commendatio e vita nascatur, quæ vivens gesserit, laudis gloria virum dignum ostendant. Quod si quem laudandum putamus, qui multa honeste confecerit, maximis in rebus cum laude summa fuerit versatus, occurrit nobis Wilhelmus, qui industria magnarum rerum conficiendarum pene omnes suæ ætatis superavit. Si quidem eum extollendum censuerimus, qui Dei venerationem templis ædificandis aliisque piis operibus instauraverit, Christianæ religionis ritus restituerit abolitos, hominum compescuerit peccata, doctrinam sanctam coluerit, et ad Dei cultum doctorum auxerit numerum, Wilhelmus quoque occurrit nobis ; id etenim viri acta, quæ communem hominum facultatem longissime superare utcunque ostendimus, luce prope solis clarius demonstrant. Denique si quem immortalitate judicaverimus dignum ob virtutem, aut siquid sit virtute præstantius, qui incorruptam adolescentiam, juventam præclaram, irreprehensibilem senectutem, omnes vitæ gradus pudice, pie, integre, et sancte egerit, nihil tentans Christiano indignum, hic quoque Wilhelmus idem occurrit. Adolescens enim, juvenis, omni denique ætate, se totum virtuti accommodavit : verbum turpitudinis, perinde atque turpitudinem ipsam, semper detestatus ; mulierum congressum et publicus et privatus obhorruit. Salutiferæ Christi passionis frequenti delectabatur commemoratione, de qua solitus erat et docte et pie concionari, atque noctem quam sancta dies Veneris est secuta, cilicium indutus, piis precibus ducere insomnem. Dulce nomen Iesu nunquam excidit animo, quod die ac

nocte, vigilans aut experrectus, semper habuit in ore. Miseris et afflictis quovismodo adeo compatiens, ut eorum incommoda lachrymis prosequeretur. Objecti criminis pœnitentes siquando vidisset, ut benignus, haud durus pater, dulci affatu, lachrymans frequentius, monuit viverent studiose, scelus per voluptatem non admitterent; quo effectum ut plerique præsulis non tam auctoritate quam benevolentia moverentur ad meliora. Wilhelmi mortem secuta publica mœstitia. Aberdonenses enim et cives et matronæ, simul cum clero, eum ut parentem diu luxerunt, querentes Aberdonense decus cum eo cecidisse, eoque mortuo ipsorum neminem non fore infelicem. Hæc Aberdonensium querela. De Wilhelmo nihil dubitandum, quin, ob amplissimas virtutes, ob sanctissima in vita gesta, piumque in Deum et homines affectum, ad divam virginem, cui se adolescens devoverat, et cui tota serviverat vita, quam templis, si licet dicere, decoraverat, quamque imploraverat moriens, profectus sit, cum Iesu Salvatore immortali vita regnaturus, ad quam se dicebat iturum. Erat annus quo Wilhelmus fato est absumptus, Christi originis secundum carnem quartus decimus supra millesi- A. D. 1514.
mum quingentesimum, regni Jacobi Quinti secundus. Coorta est anno eodem Aberdoniæ gravis pestilentia, quæ duos continuo annos perduravit. Mortales ea cives absumpsit, quot nulla antea similis hominum memoria. Effectum inde ut Aberdonense universale studium multis simul incommodis afficeretur.

Post extinctum Wilhelmum, condicto die ad pontificem eligendum, canonicorum conventioni comes Huntleus, vir nobilis et opulentus, in-

sperato supervenit, obsecrans uti ALEXANDRUM GORDONIUM, cognatum suum, Moraviensem cantorem, designarent episcopum, utile memorans rei sacræ Aberdonensi si turbulento adeo tempore crearetur pontifex qui eam amicorum copia et opulentia posset tutari. Canonici temporis iniquitati inservientes, comitis postulatis (ne durius aliquid paterentur) communi consensu obtemperaverunt. Jacobus tamen Ogilvius, qui per id temporis ad Lodovicum Duodecimum, Francorum regem, legatione fungebatur, Joannis Albaniæ ducis, Jacobi Tertii regis ex fratre nepotis, quem regni primores gubernatorem dixerant, auctoritate, Aberdonensis in Gallia vocatur episcopus. Is, uti alio loco commemoratum, postea sacro magistratu sese abdicavit. Summus vero pontifex, Leo Decimus, Robertum Formannum, Glasguensem decanum, Romæ Aberdonensem declarat antistitem. Est Robertus facili atque liberali ingenio, de iis qui Aberdoniæ literarum sunt studiosi quam optime meritus; qui etiam ad tollendum dissidium ea tempestate inter regni Scotiæ proceres subortum, longe reverendi, et vel ob id meritum ab omnibus observandi, patris Andreæ Sancti Andreæ archiepiscopi, sui germani, suasu, ultro deposuit pontificatum. Dum res ita sese haberent, Alexander Gordonius (cujus paulo ante est mentio habita) Huntlei comitis opera, assensum Joanne regni gubernatore præbente, summi pontificis auctoritate, sacrum Aberdonensem inivit magistratum; qui post initum pontificatum illico in valetudinem incidit (ethicam febrem vocant) quæ ei dum vixit, perduravit; unde nihil præstare aut perficere potuit pontifice dignum. Accersiti medici quæ suarum erant partium agentes, licet Alexandro firmam et perpetuam sospi-

tatem arte sua, qua plurimum pollebant, conferre non poterant, tamen ut vita ei in triennium ferme prorogaretur magnis laboribus obtinuerunt. Mentio per id tempus de Wilhelmi pontificis legatis, ad Deyæ fluminis pontis conditionem, collegii consummationem, ædium quoque ejus in vicinia condi inceptarum, tribuendis, frequentius facta. Conventi quibus Wilhelmus sua credidit vivens, alii quoque quorum in manus Wilhelmo moriente ejus opes devenere ; obtentum nihil, temporis impediente iniquitate. Ea propter hi ad quos negotium maxime spectabat, quum viderent nec legi locum, nec homines, aut causæ æquitate, aut recentibus episcopi Wilhelmi defuncti beneficiis, commoveri posse, ad ejus legata destinatos in usus distribuenda, ne majora sentirent incommoda, rem in opportunius tempus (siquando daretur) differentes, omnia dehinc summo continuerunt silentio. Moritur tandem Alexander, tertio A. D. 1518. pontificatus sui anno, sepultus ante aram præcipuam Aberdonensis basilicæ.

In ejus locum, canonicorum suffragiis, summi pontificis auctoritate adhibita, suffectus GAVINUS DUNBARUS, ex veteri Dunbarorum familia, generosis parentibus procreatus, in philosophia pontificioque jure apprime eruditus. Erat is fido semper et constanti animo, studiosorum amator, scelerum censor, cultorque justitiæ, et ob hoc Jacobi Quarti regis, adhuc privatus, secretioribus consiliis admotus, creditumque ei regium chartophylacium (nostrates registrum vocant) quod penes eum jubente rege deinceps permansit. Hic statim ubi pontificatum iniverat, Aberdoniam conces-

sit. Prodiere adventanti obviam Aberdonenses cives, nobiles quoque qui in vicinia habitabant, honorationis causa. Aberdoniam ingredienti omnia (et merito) honoris genera sunt adhibita. Fiebant ingentes campanarum tinnitus, tibiarum, tubarumque clangores; processere obviam religiosi viri, inde canonici et sacerdotes, omnes sacras vestes admodum pretiosas induti; subsecutus gymnasii Aberdonensis rector, cum viris scholasticis celebri admodum pompa: incredibili lætitia, immenso cum gaudio, expectatum pastorem suscepere omnes. Quodcunque templum ingrediebatur, fiebat et cantantium et organorum dulcis harmonia; fulgebant parietes aulæis; tapetibus sternebantur pavimenta, odoræ ex thuribulis fundebantur nubes; et, ut brevibus res explicetur, nihil Aberdoniæ tum fuit quod non suo more aliquod lætitiæ signum præ se ferre videretur. Mox, ut sacra peracta, quæ tum fuerant peragenda, quidam ex scholasticis gymnasii viris, rectoris jussu, nomine generalis Aberdonensis scholæ pontifici gratulaturus, hanc aut non dissimilem habuit orationem: Si unquam immortalis Deus opem mortalibus auxiliumve tulerit, reverende antistes, hoc potissimum tempore nobis Aberdonensibus tulisse comprobatur, dum te, et vita gravem et doctrina adeo insignem, nobis dedit pastorem. Divina opera justa esse atque sancta undequaque necesse est: at nihil rectius, nostra sententia, jam multos annos egisse videtur, quam quod te, optatum juxta atque necessarium Aberdonensi sedi, procellis (ut ita dicam) fluctuanti, imo pene submergenti, rectorem creavit, qui hanc diœcesim, rectissime gubernando, in sanctum eum statum a quo pene defluxit, redigeres. Quis etenim, quæso, e cunctis nostris contribulibus, ad

pontificatum aptior, aut te dignior, inveniri potuisset? Qui enim tibi, aut consilii altitudine, aut morum gravitate, aut justitia, aut denique vitæ sanctimonia, conferri possit, inveniam neminem. Immortales ideo tibi debentur gratiæ (optime Deus) qui pastorem Aberdonensi gregi tot tantisque virtutibus coruscantem dedisti, qui non solum ex omnibus eligi, et ab omnibus debuerit approbari, verum omnibus venerari, omnibus anteponi jure meruerit. Sed ne assentandi notam incurramus, a qua optimus quisque plurimum abhorreret, tuas amplissimas laudes tacebimus, quas enarrare perinde esset atque immensi cæli singulas connumerare stellas. Et duo tamen munera quam brevissime obire conabimur. In priore siquidem tibi tuoque adventui gratulabimur, devota offerentes obsequia ; in altero exactissime orabimus, præfato generali collegio, quod felicis memoriæ Wilhelmus tuus antecessor modestiæ causa regale voluit appellari, ejusque vicinarum quoque ædium ad scholasticorum usum consummationi, tua pro dignitate consulas. Quantum nobis omnes gavisi sumus, quantas Deo optimo gratias habuimus, præsul semper venerande, quum lætissimum nuntium accepimus, te sacræ Aberdonensis sedis episcopum designatum, verbis explicare nequimus ; quippe tum novimus insignem nobis moderatorem delectum, qui si quid incommodi turbulento hoc tempore indigne passi fuimus, id omne scite atque prudenter rependet, literatos tuebitur, fovebit, excolet. Extemplo ob hunc nuntium, indicto conventu publico, Deo laudes reddidimus ; ubi uno omnium consensu decretum, ut cum primum reverenda tua paternitas huc adventaret, tibi congratularemur : quibus te nunc præsentem intuentibus, verba quibus ani-

mum nostrum erga te ostenderemus, non sufficiunt. Verum tibi gratulamur quantum vel consummatissimus orator verbis posset comprehendere, aut humanum ingenium excogitare. Reverentiam demum tuam flexis corporis et animi genibus salutamus, simul in verum antistitem et moderatorem suscipientes veneramur; tibique nos modis omnibus obsequentissimos et nunc esse profitemur, et deinceps semper fore pollicemur. Ergo hunc diem communi lætitia jussum est festum agere; campanarum fieri tinnitus, musicorum concentum, organorumque melodiam; parietes aulæis, pavimenta tapetibus sterni; ut nostra ædificia (suo more) quandam te veniente viderentur præ se ferre lætitiam. Agite ergo, viri Aberdonenses: pinnæ, gallorum simulacra, summis templorum sacrarumque ædium pinnaculis ad ventorum flatus indicandos adhibitæ, occidente Wilhelmo effractæ, Gavino veniente reparentur. Hic enim est caput non languidum, quod in singula membra spiritus infundat vitales. Hic est gallus Aberdonensi ecclesiæ superpositus, nulla clade effractus, qui dormientes excitabit, arguet torpentes. Lituus, baculusve pastoralis, dum Wilhelmi episcopi funus efferretur diruptus, nunc primum integer restitutus. Mitra, quam tum incerta voce cum Wilhelmo sepeliendam clamatum est, pristinum rediit ad decorem. Et ut tandem in universum dicamus, communis illa calamitas communi lætitia omnibus est mutata. Felices idcirco nos te pontificatum adeunte; felices, inquam, tantum talemque moderatorem nacti; quem ob eruditionem pariter et probitatem jure optimo quisque sibi exoptasset. Nunc ut reliqua absolvamus, de iis quæ ad tuæ generalis scholæ Aberdonensis

attinent commodum et decorem, paucula subjungentes, prosequemur. Quis Wilhelmus fuerit tuus antecessor, inter quem et te divino nutu (ut æquum est credere) tertius, ne vestrum quispiam suo careret splendore, interjectus est, quanti apud eum reipublicæ salus, quanti divinus cultus, optime nosti. Is inter otia negotium quærens, ut sua diœcesis literis polleret, splenderet virtutibus, hoc Aberdonense generale musæum multis impensis instituit, hocque venerabile condidit collegium, quod, e medio dira morte sublatus (quæ tum maxime mortales opprimit, quum nullæ ab ea metuuntur insidiæ) nondum perfectum, reliquit tibi complendum, quem unum inter tot hominum millia semper optavit successorem. Deyæ fluminis præterea pontem, opus etsi laboriosum, ad publicum tamen commodum pernecessarium, condere incepit, comparatis quæ ad magnam operis partem consummandam sufficere videbantur. Multa aureorum millia ad operis consummationem Wilhelmi testamento legata, quæ majori ex parte ablata, compilata, direpta, nunquam in Wilhelmi destinatos usus, nisi impense juveris ac jusseris, conferenda. Oramus idcirco, optime præsul (exoremus sine) tua pro dignitate, nostra pro salute (utriusque rationem habes, scimus) nostris (tuis potius) rebus consule: fac tua opera et auctoritate nobis ablata restituantur, quæ supremis verbis horum conditor suis mandavit, te auctore consummentur: consequamur legata, ut perinde atque illum sua, te tua præclara gesta prædicent, secundoque habeamus pro conditore. Hæc ubi perorata, extemplo respondit episcopus, gratam sibi Aberdonensis generalis scholæ salutationem, rectorem virosque in ea literis deditos admodum acceptos; quibus ut prodes-

set, munus maxime iniit pontificium, sese in collegii aliisque memoratis rebus quæ suarum partium forent, accurate vigilaturum, futurun omnibus (literarum maxime studiosis) pium patrem, utilemque pastorem. Neque arbitrentur se alium pontificem adeptos, si non qui post episcopum Wilhelmum secundus collegio conditor esset futurus. Hæc de eo sentirent; fore haud dubie ut hæc in eo experirentur.

Secundum hæc, soluta concione domum undique est concessum. Postridie cum venisset Gavinus pontifex in collegium, singulas ejus ædes revisit, sacra vasa et ornamenta: ad suos inde conversus, Hæc (inquit) optimi olim pontificis Wilhelmi desiderium mihi haud sine dolore renovarunt. Hunc enim his ædibus, quocunque me verto, animo, hunc oculis, requiro. Libuit tandem Wilhelmi episcopi sepulchrum videre, sed vidisse pœnituit. Est enim locus tapetibus stratus, nullo adhuc decenti monumento ornatus. Subiit illico pontificis animum indignatio cum miseratione, tanti viri reliquias neglectas, sine nomine, sine celebri monumento, jacere, cujus memoria tantam orbis partem parvagatur. Et abiens, Heu (inquit) tam raram in amicis fidem; tam paratam oblivionem mortuorum. Rebus itaque nostris consulemus viventes: mortui amicorum memoria cito excessuri. Cui non timenda hæc injuria, quæ Wilhelmo nobis cernentibus accidit? indignior, procul dubio, notiorque omnibus futura, quo major tanti viri fuerit claritas. Exinde decrevit Gavinus, piis operibus atque religiosis intentus, immortalitati consulere. Quarto dehinc die conspectis quæ ad Deyæ pontis conditionem Wilhelmus paraverat, collegio, ædibus quoque ejus in vicinia, quarum

ante meminimus, haud consummatis, et pontem condere, et Wilhelmi incepta ad finem usque perducere, ejus animum magna admodum incessit cupido. Quod ut facilius exequeretur, voluit ut Alexander Gallovidianus (paulo antea de hoc viro est memoratum) cui Wilhelmus episcopus veluti præcipuo atque fidissimo familiari, suas omnes fortunas credidit, legata ad collegium et ad pontem reciperet, tribueretque in usus Wilhelmi testamento destinatos. Is enim, quod, Wilhelmo superstite, collegio ante alios faverit, multaque egerit ad ejus commodum, ad hoc munus (omnium sententia) commodissimus est judicatus. Nec res diu dilata : pons condi est cœptus, ingenti pecunia per Gavinum ad opus tributa ; magna ejus pars confecta, magna consummationis spes omnibus incussa. Nec tanto opere contentus, Gavinus aliud est aggressus, basîlicæ Aberdonensis cælaturam ; sed hoc quoque magna ex parte mira arte consummatum. Inter hæc quod ad religionem attinet, omittit nihil ; ut sacerdotes rite divina exequantur, polleant virtutibus, omnes bonis instituantur moribus, magnam impendit operam. Sperandum nobis hunc virum, qui pontificatus sui initiis piis adeo delectatur operibus, majores suos (modo permiserint fata) et urbanis et religiosis gestis æquaturum.

FINIS.

CATALOGUS

EPISCOPORUM MURTHLACENSIUM ET ABERDONENSIUM.

Τέλος.

Dominus Guilhelmus Elphinstonus, *Aberdonensis Episcopus, et Collegii Scholasticorum illic Institutor ac Patronus, Collegium suum alloquitur.*

Palladii socii, quibus has legavimus ædes,
  Extarent animi quæ monumenta mei,
Vos colui vivens, inter vos mens mea vixit,
  Vos carum duxi semper habere meos;
Et memini vestri vivens, post fataque dura
  Immemorem vestri reddere Parca nequit.
Et ne aliquid nostri vestrum desideret ullus,
  Hanc animam in cælis, ossa tenetis humi.
Qui nostrorum igitur soli nostri remanetis,
  Sic memorem vestri me redamate patrem.

Respondet Collegium.

Grata quidem nobis semper tua dona fuerunt,
  Gratior at vultus, magne Guilhelme, tuus.
Si prece vel pretio vitæ revocabilis esses,
  Te revocet vita nunc sibi quisque sua.
Sed quia nemo potest crudelia fata movere,
  Assiduo pro te vota precesque damus.

Joannes Vaus *in Laudem hujus Operis et Auctoris.*

Si qua manet gratos animos librosque disertos
  Gloria, si prodest stemmata nosse patrum,
Parta tibi est, Hector Bœoti, gloria jugis,
  Uno qui libro tot bene gesta refers.
Ergo Abberdoniæ dum sedes stabit et aræ,
  Pons et gymnasium, nobile stabit opus.

Τέλος.

M

IMPRESSA SUNT HÆC PRELO ASCENSIANO,

AD IDUS MAIAS, ANNO SALUTIS M.D.XXII.

DEO GRATIÆ.

TYPIS JAC. BALLANTYNE ET SOC.

M.DCCC.XXV.